PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLIII / FASC. II
15 Iunii 1954

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1954

FASCICULI

INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

Officium Parvum B. M. V. et Breviaria Parva in religiosis tam fratrum quam sororum Congregationibus. R. P. H. Schmidt S. I. 115

Responsiones circa Mp. « Crebrae allatae sunt » R. P. Pujol S. I. 134

De vi canonis 2254 § 1 in ordine ad absolvendum a peccatis ratione sui reservatis. R. P. M. Zalba S. I. 161

Notitiae Sacrae Liturgiae. R. P. H. Schmidt S. I. 173

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

4. *Litterae Encyclicae « Sacra virginitas »* . . 184

S. S. Congregatio Sancti Officii

5. *Proscriptio libri Camille Muller ' L'Encyclique « Humani Generis » et les problèmes scientifiques '* 220

6. *Proscriptio libri Jacqueline Martin ' Plenitude '* 221

Proscriptio libri Bernard Scheichelbauer ' Die Iohannis Freimaure rei ' 221

Monitum super opuscolo ' Secretum felicitatis ' 222

7. *Decretum de disciplina Ieiunii Eucharistici in celebratione instauratae vigiliae paschalis servanda* 223

S. Congregatio Rituum

8. *Variationes in rubricis missalis et ritualis romani* 224

S. Paenitentiaria Apostolica

9. *Decretum quo corona septem dolorum B. V. M. indulgentia plenaria ditatur* 228

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Officium Parvum B. M. V. et Breviaria Parva in religiosis tam Fratrum quam Sororum Congregationibus

« Evidens sane signum est magni erga Ecclesiam eiusque orationem amoris, quod tot Religiosarum familiae, quamvis latinae linguae ignarae, Officium Parvum B. M. V. latine de die in diem recitent. Sed mirum non est nostro tempore, quo Missale Romanum in omnium manibus versatur, desiderium exortum esse, ut orationem Ecclesiae pressius sequi liceat idque in sua cuique patria lingua ». En verba insignis liturgistae, P. Josephi A. Jungmann S. J. [1].

In hac dissertatione media moderna tractamus, quae Fratres ac Sorores religiosarum Congregationum actuosiore participatione orationis liturgicae suppeditant.

I. De Officio Parvo B. M. V.

Iam saepius auctores conati sunt in Officio Parvo B. M. V. maiorem variationem introducere et festis principalibus anni ecclesiastici locum tribuere. Hic agere volumus de una tantum novissima editione propter eius momentum speciale.

Bea (= Be). — *Officium Parvum Beatae Mariae Virginis. Editio amplior. Kleines Marianisches Offizium.*

1 EphLit 65 (1951) 222.

Beweiterte Ausgabe. Taurini-Romae, Marietti, 1953. XI-504 p.[2].

Haec amplior Officii Parvi B. M. V. editio latino-germanica, rogante Sodalitate Sororum Magistrarum Sanctae Crucis Tertii Ordinis Sancti Francisci de Menzingen, ab Augustino Bea S. J. redacta est. Antecedit documentum pontificium, cuius textus latinus sic sonat:

Litterae Summi Pontificis ad moderatricem generalem Sororum Magistrarum Sanctae Crucis Tertii Ordinis Sancti Francisci de Menzingen: *de nova editione Officii Parvi B. M. Virginis legitime utenda.*

Pius PP. XII Dilectae in Christo filiae, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Christifidelium erga Beatissimam Dei Genitricem Mariam impensa devotio, praeter multa alia pietatis exercitia, illud quoque a multis saeculis recenset, quo eadem Deipara Virgo Parvo Mariali Officio quod dicitur, peculiariter colitur. Qui sacer usus recentioribus temporibus etiam auctus est, cum in multis religiosis tam Fratrum laicorum quam Sororum Congregationibus cotidiana eiusdem Officii recitatio ab ipsis earum Constitutionibus praescribatur, id quod sane summa dignum est laude. Sic enim fit, ut animae Deo dicatae cotidie sibi imitandas proponant eiusdem Beatissimae Virginis praeclaras virtutes, ac praecipue summam eius puritatem et integerrimam virginitatem, ac pio hoc cotidiano obsequio Deiparae maternam curam et potentissimam tutelam sibi efficacius concilient. Haec eadem Marialis Officii recitatio easdem insuper cum liturgica Ecclesiae vita cumque sacerdotum horariis precibus arcte consociat.

Eiusdem autem huius sacrae Liturgiae studium, nostris diebus Sancti Spiritus afflatu mire auctum, in non paucis qui has Mariales preces cotidie persolvunt, etiam maius excitavit desiderium, ut cum Ecclesiae solemnitatibus et festis magis coniungerentur quam illius Officii Marialis forma secum fert, quae inde a Decessoris Nostri S. Pii V temporibus in Breviario Romano exhibetur. Peculiari igitur animi Nostri gaudio cognovimus te sodalesque tuas piis motas votis ut, antiqua illa atque summa laude digna consuetudine recitandi Marialis Officii fideliter servata, simul vitae quoque Ecclesiae liturgicae plenius participes fieri possitis, id sollerter curasse, ut paululum amplior eiusdem Marialis Officii pararetur

---

[2] C. L., *Il nuovo « Officium Parvum Beatae Mariae Virginis »*: OssRom 17 marzo 1954.

editio, quae ad anni liturgici tempora et festa pressius esset accommodata.

Cum certa Nobis sit spes fore, ut et haec vestra erga saecularem Sodalitatum religiosarum traditionem sancta fidelitas vobis in dies maiorem piissimae Matris Dei favorem et gratiam conciliet et vester sacrae Liturgiae amor novos atque pretiosos vitae spiritualis fructus vobis comparet, libenti animo permittimus, ut eadem nova Officii Parvi Marialis editione in his precibus cotidie recitandis vos et aliae quoque, si quae voluerint, religiosae Sodalitates utamini.

Paternae Nostrae benevolentiae pignus vobis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecta filia, universisque vestrae Congregationis sodalibus perlibenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mens. Martii, anno 1953, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

Officium Parvum B. M. V., sicuti in Breviario Romano invenitur, duos species habet, scil. tempus Adventus (cum festo Annuntiationis B. M. V.) et « per annum »; utraque species habet proprias lectiones (tempore Adventus Lc 1, 26-38; « per annum » Eccli 24, 11-13. 15-20), responsoria, capitula, antiphonas et orationes. Alia tempora liturgica officium « per annum » sequuntur, exceptis antiphonis finalibus B. M. V. ac perpaucis variationibus tempore Nativitatis Dni et Paschatis.

Be habet sex species, scil. tempus Adventus, Nativitatis Dni, Quadragesimae, Passionis, Paschatis et post Pentecosten. In his sex speciebus semper iidem psalmi, cantica et hymni (tempore Passionis tamen hymnus « Stabat mater dolorosa » adhibetur) recurrunt sicut in Breviario Romano, sed lectiones, responsoria, capitula, antiphonae et orationes sic variantur, ut devotio mariana cum mysterio Christi, sicut in anno ecclesiastico celebratur, magis coniungatur. Exempli gratia lectiones Be hic afferimus: Adventus Lc 1, 26-38; Nativitas Dni Lc 2, 1. 4-7. 10-12 et Apoc 12. 1-5; Quadragesima Lc 1, 38-40. 56 et Jo. 2, 3-5 et Lc 8, 19-21; Passio Thren 2, 13. 18 et Lc 2, 34-35 et Jo 19, 25-27; Pascha Gen 3, 14-15 et Cant

2, 16 ac 8, 6 et Mt 28, 4-6; post Pentecosten Eccli 24, 11-13. 15-20.

In fine Be habentur variationes in corpore Officii Parvi B. M. V. introducendae 28 festis liturgicis, inter quae ut per se patet omnia festa mariana (scil. 12) occurrunt. Plerumque celebratio istorum festorum aut ant. ad Ben. aut ant. ad Magn. aut ant. et ad Ben. et ad Magn. constat, cum interdum propria oratio festi adicitur.

Be Officium Parvum B. M. V. cum Matutino incipit et cum Completorio claudit (sicut Psalterium agit), cum Officium Parvum B. M. V. in Breviario Romano cum Vesperis incipit et cum Nonis claudit (sicut est ordo officii festivi). In Matutinis, Laudibus ac Vesperis Be duplicat antiphonas, cum in Breviario Romano non duplicantur.

Modo convenienti Be Officium Parvum B. M. V. cum sex temporibus anni ecclesiastici coniungit, ita ut devotio mariana expressius pleniusque sub luce mysteriorum Christi posita sit. Etiam festa mariana eleganter assumpta sunt. Quod ad introductionem aliarum solemnitatum anni liturgici attinet, solutio quae vere placet mihi impossibilis videtur, nam festa Christi devotioni marianae harmonice subordinari non possunt et in unico officio speciali, sine laesione eius cohaerentiae interioris, totus annus ecclesiasticus infundi nequit.

Ergo Be, antiqua atque summa laude digna consuetudine recitandi Marialis Officii fideliter servata, simul conatus est religiosis Fratrum ac Sororum congregationibus Liturgiae Ecclesiae universalis pleniorem participationem largiri.

II. De Breviariis Parvis

Nostris diebus, praeter adaptationem Officii Parvi B. M. V. anno liturgico, etiam alia tendentia orta est scil. Breviarium Romanum possibilitatibus ac conditionibus

Fratrum ac Sororum sic adaptandi, ut iis congrua participatio Officii Divini creetur. Ad hanc tendentiam sustentandam promotores ad encyclicam *Mediator Dei et hominum* de Sacra Liturgia provocant, in qua Summus Pontifex praestantiam utilitatemque Divini Officii explanavit [3]: « Cultus ... ita ordinatur ac componitur, ut per divinum officium diei horas, hebdomades, cunctumque anni cursum amplectatur, omniaque tempora variasque humanae vitae condiciones attingat » [4]; divinum officium est precatio Corporis Mystici, Capitis ac membrorum [5]; excellentia Psalmorum uberrime extollitur [6]; participatio fidelium ad Vesperas maxime commendatur, ut dies dominica sanctificetur [7].

Haec doctrina Summi Pontificis de Officio Divino in istis regionibus ubi vita liturgica floret, ét Fratribus Sororibusque Breviarium Romanum non recitantibus, ét episcopis sacerdotibusque regimen spirituale institutorum religiosorum gerentibus, probata est. Quamobrem in variis regionibus eodem tempore simul (ubique terrarum verba Magisterii Supremi eosdem fructus efferunt) Breviaria Parva in utilitatem Fratrum ac Sororum orta sunt. Sed simul ubique existit duplex quaestio: quid in institutis religiosis ex exercitiis spiritualibus iam existentibus praetermittendum sit et quid ex Breviario Romano introducendum? Secundum opinionem communem Officium Parvum B. M. V. (vel aliud Officium Parvum) locum debet tribuere Breviario Romano, cuius tamen recitatio tempus

---

[3] Pius XII, Enc. *Mediator Dei* de sacra Liturgia, 20 nov. 1947: Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia (1903-1953). Collegit notisque ornavit A. Bugnini C. M. (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », sectio practica, 6). Roma, 1953. N. 41, al. 136-148.

[4] *Ibid.*, al. 136.

[5] *Ibid.*, al. 140-142.

[6] *Ibid.*, al. 145-147.

[7] *Ibid.*, al. 148.

Officii Parvi B. M. V. non excedat. Tali modo oratio liturgica in locum orationis liturgicae iam existentis substituitur, ita ut exercitia pietatis extra-liturgica iniuria non afficiantur [8]; denique debita contractione ipsius Breviarii Romani ordo diei, constitutionibus ac consuetudinibus praescriptus, nulla mutatione indiget. Clarum est hanc reformationem magna cura evitare velle, ne novitas liturgica religionem a proprii spiritus fontibus seducat.

Quod attinet ad methodum contractionis Breviarii Romani ne tempus, in eo recitando quotidie insumendum, excedat tempus necessarium pro Officio Parvo B. M. V., existunt plura tentamina de quibus nunc agendum est in specie.

Ultimis annis multae contractiones Breviarii Romani editae sunt in utilitatem eorum, qui in recitationem Officii Divini ipsius Ecclesiae instituto delegati non sunt [9] In hoc conspectu non agimus de editionibus ante bellum confectis [10] neque de eis, quae ét quoad compositionem ét quoad divulgationem localem modestiam moderationemque servare volunt [11]. Habentur tamen editiones quae data opera, secundum principia rata, quaestionem Breviarii

---

[8] Patet in institutis quae nullum officium liturgicum habent, quaestionem difficiliorem esse.

[9] Quod ad bibliographiam attinet, vide: A. ROBEYNS O. S. B., *Le bréviaire pour ceux qui ne sont pas prêtres*: QuestLitPar 30 (1949) 118-123. — A. ROBEYNS O. S. B., *Les laïcs et le bréviaire*: QuestLitPar 31 (1950) 157-160.

[10] Hodie semper in usu sunt v. g.: *A short breviary for religious and the laity edited by* Monks of St. John's Abbey. 4th ed. Collegeville (U.S.A.), Liturgical Press, 1949. 766 p. — N. BOER O. S. B., *Leekenbreviertje*. Roermond-Maaseik, Romen en Zonen, (1937). VI-436 p.

[11] Vide v. g.: J. DILLERSBERGER, *Das Stundengebet. Ein Laienbrevier*. Salzburg, O. Müller, s. a. 1102 p. — P. PARSCH, *Stunden-Gebet für Laien nach dem neuen Psalter*. 4. Aufl. Klosterneuburg, Volksliturgisches Apostolat, 1948. 166-61 p. — C. SCHEDL, *Eine feste Burg. Psalmen für junge Christen*. Wien, Stephanus-Verlag, 1947. 78 p. — G. THIBAUT O. S. B., *Petit bréviaire*

contracti solvere conantur. Harum editionum elenchum descriptivum praebemus, additis si adsunt commendationibus auctoritatis ecclesiasticae [12].

1. STALLAERT (= St.) — Th. STALLAERT, C. ss. R. en de ABDIJ VAN BERNE-HEESWIJK, *Klein Brevier*. Haarlem-Antwerpen, J. H. Gottmer, (1950). XXIII-1652-247 p. (cum supplemento Proprii, VIII-118 p.).

Huius editionis Neerlandicae iam existit editio cum supplemento Proprii Flandrici atque praeparantur editiones Gallica, Italiana, Hispana, Germanica, Anglica, etc.

Praeter epistolam commendatitiam E.mi ac Rev.mi Card. Joannis DE JONG, archiep. Ultraiecten., continet litteras S. Congregationis de Religiosis, die 21 Februarii 1950, quae tantum ad provinciam ecclesiasticam Neerlandiae se extendunt. Praesertim huius documenti gratia apud Sorores optime successit. Haec sunt eius verba:

Sacra Congregatio de Religiosis, approbante SS.mo Domino Nostro, his litteris concedit Em. Tuae Rev.mae (= Card. Joanni DE JONG, archiep. Ultraiecten.) necnon Ordinariis locorum illius provinciae, facultatem permittendi Congregationibus, juris dioecesani et juris pontificii, si id petant, recitationem Parvi Breviarii, idiomate batavo collecti e Breviario Romano, opera P. Th. Stallaert, loco Officii Parvi B. M. V. aliarumque precum a Constitutionibus respectivis impositarum.

P. STALLAERT, die 15 Novembris 1952, a S. E. R.

---

des laïcs. Textes traduits et rythmés en vue de la récitation à haute voix. Turnhout, Brépols, 1948. 48 p.

12 Conspectum generalem praebet: F. VANDENBROUCKE O. S. B., *Bréviaire des fidèles et livres d'heures*: QuestLitPar 33 (1952) 167-172. — De spiritu ac historia agunt: R. HOORNAERT, *Le bréviaire, prière de tous*. Bruges, Ed. Beyaert, 1947. 139 p. — M. LASTUFKA, *Psalmengebet und Gnadenfrömmigkeit. Wink für Laienbrevierbeter*: Lebe mit der Kirche 14 (1947-48) 317-319. — J. STADLHUBER, *Das Stundengebet des Laien in christlicher Altertum*: ZeitschrKathTheol 71 (1949) 129-183.

Mons. G. B. Montini, Pro-Segretario di Stato, hanc epistolam benevolam accepit [13]:

Segreteria di Stato
di Sua Santità
N. 271559 *Dal Vaticano,* li 15 novembris 1952

Rev.me Pater,

Tibi significare propero Augustum Pontificem haud mediocri laude dignum existimavisse volumen, cui inscriptio « Parvum Breviarium », hollandica lingua, te auctore, exaratum.

Quod diuturnis erat in votis, recte et pulcre nunc perfectum est. Hic siquidem liber non paucis praestat dotibus: praesertim in deligendis liturgicis precibus sapientia, interpretationis diligentia, chartaceae materiae elegantia, atque typographici ornatus soliditate et nitore.

Sanctitas Sua gaudet Sibi, gratulatur tibi, quod huiusmodi opere liturgicae pietati evulgandae et provehendae consuluisti.

Enimvero christifidelium coetus virtutum omnigeno vigore florent, cum bene Deum orant; tum vero optime orant, ubi ipsi cum Ecclesia orant, cui datus est spiritus gratiae et precum (cfr. Zach. 12, 10), iucunde servatis temporum vicibus et festorum dierum varietate.

Quapropter Sanctitas Sua libenter cupit, ut Parvum Breviarium apud religiosos sodales, quibus id statutae ipsis normae permittunt, et apud laicos homines in usu versetur; atque spem inde capiens salutarium fructuum uberrimam, Apostolicam Benedictionem, divinorum munerum auspicem, paterna admodum voluntate impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor
tibi addictissimum

Jo Bapt. Montini
Subst.

Rev.mo Patri
P. Th. Stallaert C. SS. R.
Ruremondam

St quanta maxima potest fidelitate Breviarium Romanum secundum eius structuram ac compositionem conservat. Ergo praebet omnes horas canonicas et quidem

[13] Cfr. Documenta Pontificia (vide notam 3) N. 55.

unamquamque earum partem [14], et fere nihil ex Proprio Temporis ac Sanctorum omittit. Eius abbreviatio consistit in reductione numerorum psalmorum ad 110 [15] et in contractione textuum S. Scripturae, Patrum, vitarum sanctorum, hymnorum.

BIBLIOGRAPHIA: Th. STALLAERT C. ss. R., *Brevier voor de leek*: Verslagboek van het internationaal liturgisch congres gehouden te Maastricht van 27 Juli tot 2 Augustus 1946. Maastricht-Vroenhoven, Ernest van Aelst, (1947). p. 125-140. — Th. STALLAERT C. ss. R., *Het Klein Brevier*: Ons Geestelijk Leven 27 (1950-51), 299-301. — J. A. SLIJKERMAN, *Het Klein Brevier in de praktijk van het aktieve kloosterleven*: TijdschrGeestLeven 8 (1952) 162-172. — *Verslag van de liturgische dag gehouden op Dinsdag 29 Januari 1952 in de Norbertijnerabdij van Berne-Heeswijk N. B. en georganiseerd door de federatie van liturgische verenigingen in Nederland ter gelegenheid van het verschijnen van het Klein Brevier*. Haarlem, J. H. Gottmer, 1952. 42 p. — A. VERHEUL O. S. B., *Verslag van de liturgische dag over het Klein Brevier*: TijdschrLit 36 (1952) 162-163. — *Klein Brevier. Wat is het oordeel van de Eerw. Broeders en Zusters die het Klein Brevier dagelijks gebruiken?* Haarlem-Antwerpen, J. H. Gottmer, 1953. 31 p. — *Petit Bréviaire. Que pensent les religieux non-clercs et les religieuses, expérience faite, du Petit Bréviaire?* Paris, J. H. Gottmer, 1953. 32 p. — *Il Piccolo Breviario e la vita spirituale dei religiosi*. Roma, J. H. Gottmer, 1953. 12 p. — *Una novità liturgica: il Piccolo Breviario*: OssRom 10 maggio 1953. — *Convegno illustrativo del Piccolo Breviario alle religiose nell'Istituto Maria SS. Assunta*: OssRom 28 maggio 1953. — *Convegno illustrativo del Piccolo Breviario*: Ardeat Luceat Accendat. Rivista delle Religiose 2 (1953) 482-483. — *Recens.* a Marcel CHARDON: VieSpir 86 (1952) 330-332.

2. FLEISCHMANN (= Fl). — Hildebrand FLEISCHMANN O. S. B., *Officium Divinum Parvum; bearbeitet und herausgegeben im Auftrag des Liturgischen Referates der Fuldaer Bischofskonferenz*. Freiburg i. Br., Herder; Regensburg, Pustet, 1950. XXXI-566 p.

---

14 Matutinum tamen unico semper Nocturno constat.

15 Hoc psalterium 110 psalmorum in unica hebdomada distributum est.

Existunt editio cum textu latino-germanico et editio cum solo textu germanico; plures novae editiones iam excusae sunt. Antecedit epistola commendatitia Ex.morum ac Rev.morum Conradi LANDERSDORFER, ep. Passavien., et Alberti STOHR, ep. Moguntin.

Huius Breviarii Parvi iam existunt duo versiones, scil.: H. FLEISCHMANN O. S. B., *Officium Divinum Parvum. Bréviaire simplifié pour les religieuses des Congrégations actives et pour les laïcs. Préface de* S. E. Mgr. J. - J. WEBER. Tournai, Desclée et Cie, 1952. 51-499 p. — Ildebrando FLEISCHMANN O.S.B., *Il Breviario dei Fedeli. Edizione Latino-Italiano. Prefazione di Padre* Agostino GEMELLI O. F. M. Milano, Opera Regalità di N. S. Gesù Cristo, 1953. XXXI-582 p.

Fl est nova moderna editio *Officii Divini Parvi Secoviensis*, quod ab anno 1933 tres editiones cognoscebat. Pater FLEISCHMANN habet magnam experientiam usus Breviarii apud religiosas ac laicos, ita ut alii auctores, etiam P. STALLAERT, fructum ex eius peritia ceperunt.

Fl habet 128 psalmos in psalterio, quod tamen duas hebdomades comprehendit. Praebet omnes horas canonicas: Matutinum, Laudes ac Vesperae 3 psalmos habent, ceterae horae 1 ps. Unicum Completorium scil. die dominica existit, quod unaquaque die repetitur. Lectio unica Matutini semper scripturistica vel patristica est. Propria Temporis ac Sanctorum valde contracta sunt.

BIBLIOGRAPHIA: H. FLEISCHMANN O. S. B., *Laienbrevier und Schwesternbrevier*: Seelsorger 20 (1949-50) 426-427. — H. FLEISCHMANN O. S. B., *Schwesternbrevier und Volksbrevier*: BenediktMonatschr 25 (1949) 66-67. — H. FLEISCHMANN O. S. B., *Zur Schwestern- und Laienbrevier-Frage*: Heiliger Dienst 3 (1949) 173-178 et Lebe mit der Kirche 15 (1948-49) 149-152. — H. CHIRAT, *De « officio divino parvo »*: EphLit 66 (1952) 83-115. — A. GEMELLI O. F. M., *Un'iniziativa dell'Opera della Regalità: Il « Breviario dei fedeli »*: OssRom 9-10 dec. 1953. — J.-M. HUM

O. P., *Les fidèles et l'office divin*: La Maison-Dieu 34 (1953) 157-165. — *Recens.* a J. A. Jungmann S. J. in EphLit 65 (1951) 222, ab A. Robeyns O. S. B. in QuestLitPar 31 (1950) 158 et a F. Vandenbroucke O. S. B. in QuestLitPar 34 (1953) 102.

3. Mistrorigo (= Mi). — Antonio Mistrorigo, *Breviario Romano dei Fedeli. Latino-Italiano. Prima edizione italiana.* Vicenza, Luigi Favero, 1954. VIII-1694 p.

Antecedunt epistolae commendatitiae Ex.morum ac Rv.morum Caroli Zinato, ep. Vicentin., et Caroli Rossi, ep. Bugellen.

Mi praebet omnes psalmos, tamen non omnes in psalterio inveniuntur. Integra officia Breviarii Romani eduntur in magnis sollemnitatibus Nativitatis Dni, Maioris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostis, Defunctorum, etc., ut fideles his officiis cantatis in ecclesia assistere possint. Alia officia (ordinaria et festiva) contracta sunt ad Matutinum (unicum nocturnum cum 3 psalmis et 3 lectionibus), Laudes et Primam, Vesperas et Completorium. Tamen in officiis festivis et dominicalibus horae minores conservatae sunt propter earum cantum in ecclesia. Vesperae ac Completorium dominicis, festis ac feriis integrum textum Breviarii Romani conservant. Praesertim Proprium Sanctorum contractum est.

BIBLIOGRAPHIA: A. Bugnini C. M., *I laici e la «laus perennis»*: OssRom 24 dec. 1953.

4. Aliseda (= Al). — Casimiro Sanchez Aliseda, *El Breviario de los fieles. El rezo del Oficio divino acomodado para los seglares. Ordenacion, seleccion y traduccion.* Barcelona, Vilamala, 1951, 780 p.

Auctor notus est suo libro *El Breviario Romano. Estudio historico-liturgico sobre el oficio divino.* Madrid, Distribuciones O.D.E.R., 1951. 463 p.

Suum breviarium parvum praesertim laicis destinavit, nam in usum Fratrum ac Sororum translationem hispanam breviarii St praeparat. Ea de causa Al valde simplificatum est praesertim quod ad lectiones attinet. Sanctorale ad commemorationem in Laudibus ac Vesperis reductum est.

BIBLIOGRAPHIA: C. S. Aliseda, *Piedad y Tetragrama*: Incunable. Periodico Sacerdotal. Num. 57. Diciembre 1953.

5. En-Calcat (= En). — *Livre d'heures latin-français.* Abbaye d'En-Calcat, Dourgne-Tarn, 1952. XLVII-1487-799 p.

Cum breviaria supra citata abbreviationes vel simplificationes Breviarii Romani sunt, En et He modo originaliori breviarium fidelium componunt.

In En recitatio integralis psalterii, cuius translatio gallica secundum novam editionem Pii XII ad Ex.mo ac Rev.mo Gabriele Garrone, coadiutore archiep. Tolosan., confecta est, decursu quatuor hebdomadarum fit. Ceteri psalmi ac cantica S. Scripturae extra psalterium collecta sunt et quater vel quinquies in anno, scil. quinta hebdomada mensis, recitantur. Distributio psalmorum in diebus ac horis secundum naturam traditionalem dierum ac horarum elaborata est.

Matutinum suppressum est, ergo septem horae habentur. Laudes ac Vesperae tribus psalmis constant, horae minores unico psalmo.

Dies dominica ac Temporale maiorem evolutionem accipiunt; ex Sanctorali tantum Sancti principaliores officium habent, cum reliqui martyrologio apto commemorantur.

Lectionarius est volumen separatum, quod S. Scripturam (etiam 4 Evangelia) et commentaria patristica in anno ecclesiastico dividit. Hic lectionarius adhiberi potest ét in recitatione ipsius breviarii (ad Primam et ad Com-

pletorum) ét modo privato tanquam lectio spiritualis diurna.

BIBLIOGRAPHIA: J. M. Hum O. P., *Les fidèles et l'office divin*: La Maison-Dieu 34 (1953) 157-163. — *Recens.* a F. Combaluzier in EphLit 65 (1951) 233-235.

6. Henry (= He). — A.-M. Henry O. P., *Bréviaire des fidèles*. Paris, Labergerie, 1951. XXXII-1309 p.

He quatuor partibus inter se distinctis constat, scil. psalmis - lecturis biblicis - homeliis Patrum - vitis sanctorum. Non organisationem sed tantum materiam orationis diurnae praebet.

Revera in introductione habentur elementa structurae (v. g. preces introductoriae, etc.) et diversa schemata recitationis vel unicae vel duorum vel trium vel septem horarum in die. Sed praeter schemata proposita He expresse fidelibus relinquit libertatem compositionis orationis quotidianae: unusquisque e materia praesentata hoc sumit quod eius possibilitati vel circumstantiis adaptatum est. Ea de causa rubricae sic generales sunt, ut proprio arbitrio orantis larga variatio permittatur.

BIBLIOGRAPHIA: J.-M. Hum O. P., *Les fidèles et l'office divin*: La Maison-Dieu 34 (1953) 157-163. — L. B., *Le bréviaire des fidèles*: La Vie Spir 86 (1952) 190-192.

Diiudicatio: Ordo quo haec sex Breviaria Parva referimus, indicat eorum naturam generalem: Materialiter secundum structuram, textum ac kalendarium St proxime Breviario Romano adiacet, cum cetera secundum ordinem Fl-Mi-Al-En-He ab eo magis recedunt. Vice versa quod ad novitatem compositionis attinet, He primum locum occupat, cum cetera secundum ordinem En-Al-Mi-Fl-St magis conservativa sunt.

Si extrema (St et He) consideramus, hoc nobis dicendum videtur. St nihil aliud agit quam habiliter tan-

tam materiam ex Breviario Romano expungere, ut textus oriatur qui in eodem tempore pro Officio Parvo B.M.V. necessario recitari potest. He a limitatione temporis orditur et textum intendit qui etiam in magnis angustiis temporis spiritum Breviarii quam maxime attingit. Quamobrem, si licet iudicium negativum proferre, St est nimis fragmentarium et He non iam est Breviarium Romanum. Breviaria quae inter St et He habentur, scil. Fl Mi Al En, duo principia superdicta adhibent, ita ut utriusque commoda ac incommoda praeseferunt.

Quod ad usum Fratum Sororumque attinet nobis hoc dicendum videtur. Qui participationem fidelem Breviarii Romani desideret, St sumat. Qui formam simpliciorem Breviarii praeseferat, Fl eligat. Qui magis spiritum Officii Divini quaerat, ei En placeat. Inconvenientia Mi est temporis, recitationi uniuscuiusque Officii necessarii, varietas magna. Propter absentiam organisationis accuratae He orationi stabili ordinataeque obstat. Al nimis sobrium tenueque religiosis est, sicuti ipse auctor concedit, nam pro Fratribus ac Sororibus translationem hispanam St praeparat. Hoc iudicium nostrum cum recensionibus plus minusve congruit et eo confirmatur quod St, Fl et En religiosis magis placent.

Quia Breviaria Parva in lingua vernacula composita sunt et multa instituta religiosa internationalia sunt, translationes in variis linguis necessariae sunt, ut unaquaque sodalitas ubique terrarum eundem textum recitari possit. Usque ad hoc tempus tantum St. et Fl iam habent vel praeparant translationes, ut pro unoquoque instituto internationali iuxta diversas regiones aequalitatem textus vindicant. Sic manifesta est eorum sollicitudo, ne uniformitas orationis ac animorum unio, quae adeo in Religionibus necessariae sunt, impediantur.

Quod habentur plura Breviaria Parva, per se huic novitati obicere non licet. Etiam in Religionibus clericalibus diversitas Officii Divini existit. Quoad Breviaria

Parva quae religiosis commendari solent, dici nequit hodie eorum numerum exaggeratum esse vel confusionem existere.

Quod non existit Breviarium Parvum a S. Sede pro diversis nationum linguis editum et textus hodie vulgati a S. Congregatione Rituum approbati non sunt, improbatio huius incepti non est. Breviaria enim Parva dici possunt versiones ac excerpta libri liturgici existentis, quorum approbationes iure ad loci Ordinarios pertinent [16]. Nobis videtur naturae religiosarum Congregationum quae immediata activitate membrorum Ecclesiae fundatae sunt, congruum esse, etiam hunc inceptum auctoritate privata sacerdotum, qui in regimine spirituali Fratrum Sororumque directe versantur, orsum esse, cum auctoritas publica observat, moderate approbat nec statim potestate suprema intervenit. Quia Breviaria Parva adhuc in statu nascenti et in tempore experimenti sunt, nihil certum de eorum futuro praedici potest, praesertim cum etiam status futurus Breviarii Romani suspensus videatur.

Tandem aliquando quaedam verba de bonis virtutibus huius incepti necessaria sunt. Cum Be Breviaria Parva commune habent, quod lingua vernacula recitari possunt; Sorores enim paucae linguam latinam intelligunt, ideoque sensum Breviarii latini vix capere valent; nemo hodie hos libros liturgicos dissuadebit propter introductionem linguae « non-liturgicae » in cultu divino. Sed Breviarium Parvum etiam qualitates praesefert, quae in Officio Parvo B. M. V. desunt. Latam participationem Liturgiae realisat, nam eius recitatione annus ecclesiasticus curriculum vitae spiritualis fit et sacrificium Missae, « centrum » vitae christianae, « circulum » continuae

---

16 Cfr. C. Callewaert, *Liturgicae Institutiones.* Tractatus primus. *De S. Liturgia universim.* Ed. 4ª recognita et aucta. Brugis, C. Beyaert, 1944. N. 122-123.

praeparationis ac gratiarum actionis accipit. Efficaciter ducit ad fontes spiritualitatis christianae, nempe ad S. Scripturam in psalmis ac lectionibus et ad selectos thesauros saecularis doctrinae orationisque Ecclesiae. Alit amorem erga Matrem Ecclesiam, nam prout est participatio orationis Ecclesiae universalis, spiritum ecclesiasticum excitat; sic non a proprii spiritus fontibus seducit sed, sicut in Ordinibus clericalibus, propria spiritualitas Congregationis pressius cum communi spiritualitate Ecclesiae coniungitur. Postremo Breviarium Parvum uberrima varietate excellit, et proinde ad pietatem alacrem alendam valde aptum est; maiorem enim attentionem procurat quam eadem oratio longa quotidie repetita, fastidium efficacius praevertit et monotoniam rutinamque fortius impugnat.

III. Normae directivae

Fratres et Sorores sed etiam directores spirituales religiosarum communitatum prae oculis habere debent, quae hac in re S. Congregationis de Religiosis disciplina sit. Secundum cl. A. Gutiérrez C.M.F. mens Congregationis ad haec reduci potest [17]:

1. Ubi incommoda et difficultates non timentur, absque difficultate Religionibus legitime petentibus concedit adoptionem Breviarii Parvi in lingua vulgari.

2. Si agitur de Religione iuris dioecesani, mutationes constitutionum fieri possunt ab Ordinariis (C.I.C. can. 495 § 2). Si de Religione iuris pontificii, S. Congregatio solet exigere ut negotium tractetur in Capitulo ge-

---

[17] A. Gutiérrez C. M. F., *De Parvo Breviario in linguis vernaculis*: Commentarium pro Religiosis et Missionariis 34 (1953) 263-266.

nerali, et quod habeatur non tantum maioritas absoluta favorabilis, sed quaedam unanimitas saltem moralis. Si agitur de Congregatione cum parvo Sororum numero et parum diffusa, aliquando concedit gratiam ad petitionem totius Consilii generalis, cum clausulis tamen infra determinandis.

3. Concessio non fit in perpetuum, sed ad quinquennium experimenti causa.

4. Clausulae a R. Pontifice approbatae rescriptis apponi solitae, hae sunt: Gratia conceditur ad experimentum dummodo:

a) in traditione Religionis nihil directo obstet mutationi;

b) concors sit Regiminis et Sororum de mutatione iudicium, ita ut periculum absit divisionum;

c) mutatio non turbet horaria et ordinem domesticum.

Ad has normas magni aestimandas, volumus nonnullas observationes breves adicere.

Penes religiosam Congregationem unam omnis disceptatio hac in re est, nam ipsae Constitutiones in discrimine versantur. Est enim negotium quod ex una parte totius Religionis ut talis interest, sed etiam quod omnes uti singulos tangit, eo praesertim quod habent quoddam ius quaesitum regulas et traditiones tenendi quas professi sunt. Ergo rationabiliter dissentientes non facile contemnantur et in dubio melior sit conditio possidentis, ne religiosa caritas vim patiatur, cui in communitatibus nihil praeponendum sit.

Ergo hac in re propaganda commercialis maxime vitanda est. Perutilis tamen est totius incepti expositio obiectiva, ab hominibus peritis cum sinceritate ac prudentia data, ut superiores ac subditi rectum iudicium de hac re facere possint. Per se patet contemptum Officii

Parvi M.M.V. permitti non posse. Ad enuntiationes insanas ac exaggeratas praeveniendas iuvet pia meditatio litterarum Summi Pontificis de nova editione Officii Parvi B. M. Virginis legitime utenda.

In Sodalitatibus, ubi secundum Constitutiones vel ex consuetudine Officium Parvum B.M.V. recitatur, inquirendum est utrum hoc Officium electum sit propter specialem devotionem marialem, in fine vel spiritu Religionis expressam, an simpliciter assumptum sit ad orationem liturgicam colendam. Si illud est, *in se* Be principatum obtinet, si hoc est, *in se* Breviarium Parvum. Tamen quod *in se* praeferri potest, nondum de facto realisandum est. Etiam innumerabilibus rationibus per accidens, circumstantiis concretis et affectibus indeterminabilibus optio inter duas res laudabiles obnoxia est. Sic v. g. in Instituto, ubi Officium Parvum B. M. V. cum fine speciali et cum spiritu proprio Religionis nullam intimam relationem habet, tamen Sorores in recitatione huius Officii perseverare possunt v. g ex mera habitudine, ad traditionem tenendam, propter Fundatricis venerationem, etc. Ab altera parte in Sodalitate, ubi Officium Parvum B. M. V. initio propter spiritum marialem Religionis electum est, tamen Sorores Breviarium Parvum inducere possunt v. g ex aestimatione Liturgiae, propter maiorem varietatem, ad vocationes promovendas, etc.

Hodie sacrae Liturgiae studium, quod secundum verba Summi Pontificis « nostris diebus Sancti Spiritus afflatu mire auctum » est, etiam modo speciali religiosis Congregationibus prodest. Zelo apostolico et amore liturgiae moti, varii auctores vel via coniunctionis Officii Parvi B. M. V. cum anno liturgico vel via convenientis contractionis Breviarii Romani intendunt augmentum spiritus liturgici inter Fratres ac Sorores. Salva libertate et lumine recti iudicii Frates Sororesque hoc negotium pium decidant. Moderatione prudenti ac obiectivitate

serena promotores agant secundum exemplum supremae auctoritatis ecclesiasticae, quae magna cautela in hoc negotio procedit et omnem speciem coactionis evitare vult. Quia spiritus liturgicus nostris diebus Spiritus Sancti afflatu augetur, electio fiat principaliter adiutorio supernaturali orationis.

H. Schmidt S. J.

ANNOTATIONES
ad
Responsa circa Mp. "Crebrae allatae sunt".

Anno 1949 Pius XII, crebris supplicationibus tum a Legatis pontificiis tum a sacrorum Antistibus Ecclesiae Orientalis allatis benigne annuens, Auctoritate Sua Apostolica per Motu proprio « Crebrae allatae sunt » (*Acta Apostolicae Sedis*, XXXXV, 1949, 89--119) canones quibus in posterum disciplina sacramenti matrimonii in orientalibus Ecclesiis unice regatur, promulgavit (Huius Motu proprio brevem at optimam declarationem a P. Herman factam vid. in Periodica de re morali... 1949, 93-125). Cum tamen nullum humanum opus absoluta perfectione donetur, decursu temporis opus fuit nonnulla dubia et obscuritates dissipare, et aliquando, ut melius bono animarum et disciplinae consuleretur, etiam ipsam legem extendere. Quare nonnulla edita sunt Responsa, quorum momentum non ad solos Orientalium Ecclesiarum subditos est restringendum, cum ista Responsa, prout ex eorum lectione cuilibet apparebit, etiam ab Ordinariis locorum et parochis latinis prae oculis sint semper habenda et religiose servanda, quoties de re matrimoniali cum orientalibus perficienda agatur. Cum aliunde ex eorumdem Responsorum observantia non raro ipse valor matrimonii pendeat, clare elucet quanta cum cura etiam latini ista Responsa et callere et servare teneantur. Cui fideli observantiae ut pro nostris viribus cooperemus, brevissimam hanc declarationem praebemus singularum Responsionum, quas circa canones orientales de Matrimonio ab anno 1949 ad nostros usque dies Pontificia Commissio ad redigendum Codicem iuris canonici orientalis, de speciali mandato Sanctissimi, edidit. Ordi-

nem in iis adnotationibus exarandis secuti sumus, non chronologicum, sed quem ipsa dispositio canonum postulabat.

Ad canonem 18 § 2 — « Dub. I — An loci Hierarcha, in cuius eparchia matrimonium celebratur, dispensare possit ad normam can. 18 § 2 a publicationibus matrimonii contrahentes eadem lege adstrictos, diversi tamen ritus. — Resp.: Affirmative, dummodo sit Hierarcha proprius eius qui dispensatione eget.

Dub. II — An Hierarcha loci, in cuius eparchia matrimonium celebratur, dispensare possit ad normam can. 18 § 2 a publicationibus matrimonii contrahentes eiusdem quidem ritus ac ipse Hierarcha, qui tamen non sit eorum Hierarcha proprius. — Resp.: Negative ». 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 312).

Obligatio denuntiandi matrimonium apud orientales ibi tantum urget, ubi eam ius particulare imponit (Mp. « Crebrae allatae », can. 12), ut accidit apud italo-albanenses (*Costituzioni del Sinodo Intereparchiale.....* 1940, artt. 227, 233 et *Benedictus XIV,* « Etsi pastoralis », § VIII, n. 1, Col. Lacens., II, col. 517), rumenos (*Conc. I. Provinciale,* c. VIII, n. 1; *Conc. II Provinciale,* c. III, §§ 27-30), ruthenos (*syn. Zamoscena,* tit. III, § 8; *Syn. Leopolitana,* tit. II, c. VII; *S. Con. de Prop. Fide,* Decretum d. 6 oct. 1863 D, a); Col. Lacens. II, p. 564), maronitas (*Synodus Libanensis,* part. II, c. XI, n. 20), malabarenses (*Placidus a S. Joseph,* Fontes iuris canonici syro-malankarensium, 1940, nn. 585, 612, 620; Codificazione Canonica Orientale, Fonti, serie II, Fasc. IX) et russos (*Herman-Wuyts,* Textus selecti iuris ecclesiastici russorum, 1944, nn. 740-747, 759; Codificazione Canonica Orientale, Fonti, serie II, fasc. VII). Ubi vero lex de denuntiando matrimonio vigeat, servanda sunt praescripta cc. 13-21 eiusdem Mp. « Crebrae allatae ».

Dispensationem autem concedere a pubblicationibus peragendis, quoties ob legitimam causam necessaria vel conveniens videatur, committitur a iure Ordinario proprio, etiam quoad publicationes in aliena dioecesi faciendas (can. 18 § 1). Et « si plures sint Hierarchae proprii, illius est dispensare in cuius eparchia matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur eparchias, cuiuslibet Hierarchae proprii » (§ 2). Canon, igitur, qualitate « ritus » Ordinarii praetermissa, firmiter et exclusive adhaeret qualitati Ordinarii « proprii », et quidem consulto prout ex Responso elucet.

Quisnam sit Ordinarius « proprius » declaratur in c. 86 § 3 n. 1 « Nisi aliud statuatur, sive per domicilium sive per quasi domicilium suum quisque parochum et Hierarcham proprii ritus sortitur; 2: Deficiente parocho [intra territorium proprii ritus] pro fidelibus alicuius ritus, horum Hierarcha designet alius ritus parochum, qui eorumdem curam suscipiat, postquam idem Hierarcha habuerit consensum Hierarchae parochi designandi; 3: Extra territorium proprii ritus, deficiente huius ritus Hierachae, habendus est tamqvam proprius, quem designaverit Sedes Apostolica vel, obtento eiusdem consensu, Patriarcha, si iure particulari cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est; 4. Proprius vagi parochus vel Hierarcha est sui ritus parochus vel Hierarcha loci ubi vagus actu commoratur; deficiente parochi vel Hierarcha sui ritus, serventur normae in nn. 2, 3 statutae ».

Cum tamen « ritus » magnum in iure semper habuerit et etiam in praesenti habeat momentum, et non raro ad ritum attendatur ad moderandas relationes inter fideles eorumque superiores, ut, ne alia omittam, accidit in assistentia matrimonio, cui parochus et Ordinarius loci valide assistunt intra fines dumtaxat sui territorii sive contrahentes sint subditi, sive non subditi, *modo sint sui ritus* (can. 86 § 1, n. 2), non sine fundamento proposita

fuerunt dubia supra relata. Solutio vero dubiorum, consequenter cum iis quae in can. 18 statuuntur, repetitur, non a circumstantia ritus ,tamquam si Ordinarius possit vel non ab illa obligatione proclamationum matrimonialium dispensare, prout eiusdem vel diversi sit ritus, sed rectius a circumstantia, vi cuius Ordinarius, a quo illa dispensatio postulatur, dici possit et sit vel non Ordinarius proprius contrahentium, ita ut si sit Ordinarius eorum proprius, etsi diversi ritus, possit dispensationem concedere; non autem possit, si non sit eorum proprius Ordinarius, quamvis et ipse ad ritum matrimonium contrahentium pertineat. Unde « ritus », etsi non excludatur, non attenditur per se; attenditur vero illa circumstantia de Ordinario « proprio ». Iure quidem, cum dispensatio ab obligatione publicationum matrimonialium sit exercitium iurisdictionis in proprium subditum, subditus vero nemo per *solum ritum* fit, sed potius per concurrentiam aliarum circumstantiarum, quarum praecipua fortasse est domicilium vel quasi domicilium in loco Ordinario, diversi fortasse ritus, subiecto.

Igitur « neque differentia ritus potestatem Hierarchae loci proprii limitat, neque identitas ritus contrahentes inter et Ordinarium loci sufficit, ut hic, si non sit simul eorum Ordinarius proprius, possit sibi vindicare potestatem eos ab obligatione denuntiationum dispensandi, ne quidem in casu quo matrimonium in suo territorio celebretur. Sola ratio « ritus » ad neutrum sufficit. Id quod necessario requiritur et simul sufficit est quod Ordinarius loci sit « proprius » futurorum contrahentium » (*Pujol*, in Revista española de Derecho Canónico, 1953, n. III, pp. 868-869).

Exemplo rem illustremus. Duo fideles ritus malankarensis cum domicilio in eparchia Tiruvallensi (Malabar-India) et quasi domicilio in archidioecesi Mediolanensi dispensationem a publicando matrimonio obtinere possunt, tum ab Ordinario mediolanensi, sive matrimonium

in archidioecesi Mediolanensi celebretur sive alibi, Tiruvallensi eparchia tamen exclusa, tum ab Ordinario tiruvallensi, ubicumque matrimonium celebretur, archidioecesi Mediolanensi exclusa; si vero matrimonium in eparchia Tiruvallensi vel in archidioecesi Mediolanensi sit celebrandum, dispensatio concedenda est respective vel ab Ordinario tiruvallensi vel ab Ordinario mediolanensi. Quod si isti duo fideles malankarensis ritus cum solo domicilio et quidem in archidioecesi Mediolanensi, Tiruvallem veniant ut ibi matrimonium ineant, dispensari ab illa obligatione nequeunt ab Ordinario tiruvallensi, ut explicite dicitur in Dub. II, quia etsi Ordinarius tiruvallensis eiusdem est ritus ac contrahentium, non tamen est eorum Ordinarius « proprius », neque consequenter eorum superior. Dispensationem, si ea opus sit, petere et obtinere debent a solo Ordinario mediolanensi, qui solus est, ratione domicilii contrahentium, eorum Ordinarius proprius et consequenter eorum superior.

Quam opportunum sit hoc Responsum constat, tum ex ratione allata, tum ex eo quod Ordinarius proprius aptior est quam Ordinarius mere « ritus » ad inquirendum de existentia impedimentorum, ad iudicandum de opportunitate vel secus concedendi dispensationem, tum denique quia Ordinarius proprius in se suscipit responsabilitatem de legitima matrimonii celebratione.

Ad canonem 31 — « Dub.: Cuius gradus in singulis casibus censendum sit impedimentum quod ex diverso computandi modo, orientali vel latino, sit maioris vel minoris gradus iuxta can. 31 — Resp.: Impedimentum censendum est illius gradus cuius est in disciplina Hierarchae qui dispensationem dedit ». 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 312).

Canon. 31 Mp. « Crebrae allatae sunt » et canon 1042 CIC enumerant impedimenta gradus minoris et gradus maioris, et cuilibet eos attente consideranti clara appa-

rebit differentia quae inter duos canones existit. Aliqua impedimenta in Mp. sunt gradus minoris, quae in CIC sunt gradus maioris, et vice versa. Haec diversitas habetur praesertim quoad illa impedimenta in quibus fit graduum computatio, cum gradus diversimode in iure latino et in iure orientali computentur. Codex enim iuris canonici adhibet computationem canonicam (can. 96 § 2 CIC), Mp. vero orientalis civilem seu etiam romanam dictam (can. 66 § 4 Mp.). Facile igitur accidere potest ut, ob diversum hunc modum gradus computandi, impedimentum in alia disciplina existat, non autem in alia; aut ut impedimentum iuxta aliam disciplinam sit gradus maioris, et iuxta aliam gradus minoris, et vice versa. Ut uno tantum exemplo ex consanguinitate mutuato rem partim illustremus, si in una linea sint tres personae et in alia duae, iuxta utramque disciplinam existit impedimentum, non tamen eiusdem gradus, cum pro latinis sit gradus minoris, est enim consanguinitas in tertio gradu secundum attingente lineae collateralis; pro orientalibus autem est gradus maioris, quia agitur de impedimento consanguinitatis in quinto gradu [« nam tot sunt gradus quot personae in utroque tractu, stipite dempto » Mp., can. 66 § 4, n 3] lineae obliquae.

Ex hac diversitate peculiaris oriebatur difficultas in concedenda dispensatione impedimenti, ubi contrahentes ad diversum ritum, orientalem et latinum, pertinebant, et impedimento ligabantur quod, in alterius disciplina erat gradus maioris, et in disciplina alterius minoris gradus. Huic difficultati ut remedium afferret Commissio Codicis, de mandato speciali Sanctissimi, normam dedit, iuxta quam impedimentum censendum est illius gradus, cuius est in disciplina Hierarchae seu Ordinarii loci qui dispensationem concedit. « Haec norma est logica; nam haec distinctio impedimentorum gradus maioris et gradus minoris respicit dispensationem impedimentorum. Consentaneum igitur est quod applicatur lex ritus illius Hierarchae qui

ab impedimento dispensat » (*Herman,* in Monitor Ecclesiasticus, 1953, p. 576.

Tum ex textu sive dubii sive responsi, tum ex scopo eiusdem clare apparet supponi impedimentum in utraque disciplina, orientali nempe et latina, existere, at simul diverso gradu aestimari. Haec igitur norma applicari non potest quoties impedimentum existit non nisi in disciplina alterius partis contrahentis; ut si contrahentes, latinus et orientalis, sint consanguinei in quarto gradu attingente secundum iuxta computationem latinam. Quoniam in hoc casu, attenta disciplina latina, contrahentes nullo ligantur impedimento, ligantur vero iuxta disciplinam orientalem, quia in casu habemus consanguinitatem in sexto gradu lineae obliquae, huiusmodi impedimentum, sive dispensetur ab Ordinario orientali, ut patet, sive ab Ordinario latino, aestimandum est iuxta disciplinam orientalem, ac proinde impedimentum est gradus minoris (Mp. can. 31, § 1 n. 1).

Ad canonem 32 § 5. — « Dub. I: An per verba can. 32 § 5 " dispensatio petatur ab Hierarcha viri " excludatur potestas Hierarchae mulieris valide dispensandi ab impedimento quod dumtaxat hanc liget. — Resp.: Negative.

Dub. II — An praescriptum can. 32 § 5 applicandum sit si contrahentes eiusdem ritus pertineant ad eparchias diversi ritus. — Resp.: Affirmative ». 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 312).

Canone 32 determinatur potestas qua Ordinarii locorum et Patriarchae orientales in impedimentis matrimonialibus dispensandis vi iuris communis et in ordinariis adiunctis pollent, sive quoad impedimenta sive quoad personas erga quas illi suam potestatem exercere valent. Potestate dispensandi ab huiusmodi impedimentis Ordinarii locorum, non autem Syncelli seu Vicarii generales sine mandato speciali, uti possunt in favorem subditorum

(can. 32 § 1), Patriarchae vero in favorem et suorum subditorum et praeterea omnium sui ritus fidelium in patriarchatu actu degentium, etsi domicilium vel quasi domicilium in aliqua eparchia patriarchatus non habeant (§ 3).

Aliis quaestionibus quoad personas in quarum favorem Hierarchae suam potestatem possunt praetermissis, ad particularem quaestionem quae § 5 respicit accedimus. Paragraphus haec 5 refert: « Si contrahentes ad diversas eiusdem ritus eparchias pertineant vel ad diversos ritus, dispensatio petatur ab Hierarcha viri, et si vir sit acatholicus, ab Hierarcha mulieris ». Antequam ad ulteriora procedamus, notemus tertium casum qui, iuxta Responsum ad alterum dubium, his duobus est addendus et consequenter praescriptum can. 32 § 5 applicandum est quoque « si contrahentes eiusdem ritus ad eparchias diversi ritus pertineant ».

In his tribus adiunctis quicumque Ordinarius proprius uti posset per se sua potestate dispensandi ab impedimento matrimoniali, et contrahentes ad quemlibet ex propriis Ordinariis recurrere valerent, sive ad Ordinarium viri sive ad Ordinarium mulieris, quando agitur de impedimento correlativo, et ad Ordinarium eius qui impedimento ligatur, si de impedimento absoluto sit quaestio. Per paragraphum vero quintam voluit legislator hanc libertatem aliquantulum limitare, procul dubio ut dispensationem ab impedimento et faciliorem et simul tutiorem redderet. Unde in illis tribus adiunctis iubetur recursum institui, non ad quemlibet Ordinarium ex Ordinariis propriis, sed ad Ordinarium proprium viri (*Coussa*, De Matrimonio, n. 58, tenet clausulam canonis « Hierarcham viri » non significare dumtaxat *proprium Hierarcham viri* (ratione domicilii vel quasi domicilii), sed etiam Hierarcham Ritus viri), etiamsi impedimentum in sola muliere inveniatur; et si vir sit acatholicus, tunc dispensatio ab Ordinario mulieris erit petenda (In decreto pro ruthenis

in Stat. Foeder. Amer. Septentr., art. 40, *Acta Apost. Sedis,* XXI, 1929, 159, et in simili decreto pro ruthenis Canadae, art. 46, *Acta Apost. Sedis,* XXII, 1930, 353, dispensatio impedimentorum in matrimoniis mixti ritus petenda et concedenda erat ab Episcopo sponsae). Praeter rationes modo allatas, praescriptum paragraphi quintae iustificatur etiam ex modo quo lex Mp. matrimonium in aliis momentis tarctat, nempe semper praeferentiam dat viro, ita ut matrimonium contrahendum sit coram parocho vel Ordinario viri, et si contrahentes ad diversum ritum pertineant, in ritu viri et coram eiusdem parocho (can. 88 § 3); logicum igitur videtur quod etiam negotium de dispensatione impedimentorum de regula ab Ordinario viri peragatur.

Excluditurne eo ipso interventus Ordinarii mulieris, praesertim in casu quo sola mulier impedimento relaxando, ex gr. voto, aetate, etc., ligetur? Attento obvio verborum sensu, clarum omnino est § 5 de solo praecepto et de sola liceitate agere, nullo autem modo potestati in § 1 Ordinariis concessae derogare. At, ut quodcumque dubium in hac re auferatur, in responsione ad Dubium I explicite declaratur per illa verba « dispensatio petatur ab Hierarcha viri » nullatenus excludi potestatem Hierarchae mulieris ad valide dispensandum ab impedimento quod dumtaxat hanc mulierem liget. Ut id possit etiam licite fieri, sufficit quaecumque rationabilis causa.

Huc animadvertendum venit, praescriptionem in § 5 contentam, cum agatur de lege interrituali, modo absoluto et universali lata, quae nullum ritum excludit, sed omnes comprehendit, non solum orientales, sed etiam latinos attingere quoties cum orientalibus matrimonium contrahunt. Quare, si mulier latina cum viro orientali nuptias celebret, dispensatio ab impedimento forte necessaria ab Ordinario viri orientalis erit petenda; ab Ordinario autem latino viri, si hic sit latinus, mulier vero orientalis.

Ad canonem 85 — « Dub. I: Utrum sacerdos, latini

ritus, legitime assistens nuptiis inter partem catholicam orientalis ritus et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, servare debeat praescriptum, canonis 1102 § 2 CIC, an prescriptum canonis 85 Litterarum Apostolicarum « Crebrae allatae sunt ». — Resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad alteram.

Dub. II: Utrum sacerdos, orientalis ritus, legitime assistens nuptiis inter partem catholicam latini ritus et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, servare debeat praescriptum canonis 1102 § 2 CIC, an praescriptum canonis 85 Litterarum Apostolicarum « Crebrae allatae sunt ». Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad alteram ». 8-I-1953 (*Acta Apostolicae Sedis*, XXXXV, 1953, pp. 104-105).

Difficultas quae hoc duplici responso solvi intenditur, provenit ex oppositione quae existit inter canonem 1102 § 2 Codicis iuris canonici et canonem 85 Mp. « Crebrae allatae sunt ». Nam, dum canon 1102 § 2 CIC prohibet omnes ritus sacros in nuptiis inter partem catholicam et partem acatholicam, canone 85 Mp. statuitur, et quidem ad valorem matrimonii, ut quodcumque matrimonium fidelis orientalis ritus celebretur coram parocho vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato, duobus saltem testibus, et *ritu sacro* (Can. 85 § 1); ritus vero sacer, ut edocemur § 2, ad effectum celebrationis matrimonii, satis habetur ipso interventu sacerdotis assistentis et benedicentis (§ 2). Forma in canone 85 statuta adstringuntur, catholici, non solum quando inter se matrimonium contrahunt, sed etiam quando cum non catholicis nuptias ineunt (can. 90, § 1, nn. 1-2). Ergo etiam matrimonia mixtae religionis orientalium, aliter ac latinorum, sacro ritu perficienda sunt.

Hoc absque ulla difficultate fit quoties et pars catholica et sacerdos assistens ad ritum orientalem pertinent, et consequenter uterque disciplinae in Mp. statutae subest. Difficultas tunc oritur, cum ratione contrahentis partis

catholicae et sacerdotis assistentis habetur quaedam ritus orientalis et latini commixtio, cum consequenti simultanea concurrentia disciplinae orientalis cum latina, quae in hoc casu sunt inter se contrariae. Cum aliunde neutra disciplina, neque latina neque orientalis, primas partes sibi vindicare possit, quia utraque in eadem linea invenitur, quaestio statim exurgit de disciplina in casu servanda, nempe, an disciplina latina, an potius orientalis, seu aliis verbis, an disciplina propria sacerdotis assistentis, an potius disciplina propria partis catholicae contrahentis. Haec quaestio non est mere ritualis, sed ipsum matrimonii valorem afficit.

Auctores qui hanc quaestionem, sub alio generaliori respectu agitaverant, inter se dissentiebant, cum alii propugnaverint sequendam potius esse disciplinam partium contrahentium, alii vero disciplinam sacerdotis assistentis; atque pro utraque parte validae afferebantur rationes (*Herman,* Adnotationes ad Mp. Crebrae allatae sunt; Periodica de re morali... II (1949) p. 122; *Coussa,* De Matrimonio, n. 10; *Galtier,* Le Mariage, p. 242). Commisio Codicis, in hac particulari quaestione solvenda, alteram opinionem potius secuta, statuit sacerdotem assistentem matrimonio mixtae religionis, cuius pars catholica ad ritum diversum a ritu sacerdotis pertinet, in adhibendis vel secus ritibus sacris in celebratione matrimonii, stare debere propriae disciplinae, nullo habito respectu ad id quod in partis catholicae disciplina statutum est. Quare matrimonium mixtum, cuius pars catholica sit latina, coram sacerdote orientali celebrandum, simplici saltem benedictione erit sacrandum, ad normam canonis 85 Mp. « Crebrae allatae sunt », cui sacerdos orientalis stare debet, etsi canon 1102 § CIC aliter statuat pro matrimonio mixto partis catholicae latinae. Quodsi pars catholica sit orientalis et sacerdos assistens latinus, hic stare debet praescripto canonis 1102 § 2 CIC, et ritum sacrum qui, iuxta citatos canones 85 et

90 Mp. « Crebrae allatae sunt » pro quolibet orientalium matrimonio, etiam mixtae religionis ad valorem requiritur, in hoc casu prorsus omittere.

Quae hucusque diximus, ad rigorem iuris dicta sunt. In praxi autem sacerdos assistens adiuncta consideret, ut recte et prudenter se gerat. Etenim sacerdos latinus prae oculis habeat oportet etiam quae in eadem § 2 canonis 1102 CIC continentur, scil. « quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere ». Quaenam sint ista graviora mala, videri potest apud auctores; in nostro casu, non est in oblivionem tradendum orientales, sive catholicos sive acatholicos, magnifacere benedictionem matrimonialem, ita ut sine ea vix concipiant verum et canonicum matrimonium (*Coussa,* De Matrimonio, n. 167; *Herman,* De benedictione nuptiali quid statuerit ius byzantinum sive ecclesiasticum sive civile; Orientalia Christiana Periodica IV (1938) pp. 210 ss.). Sacerdos vero orientalis, etsi teneatur suum ritum servare, fortasse ab adiunctis consuletur ut moderate se gerat, ne scandalum vel admirationem in fidelibus gignat; quare, loco integrum ritum orientalem perficiendi, fortasse bonum erit contrahentes sola benedictione aut aliquo simpliciori ritu benedicere. Hoc pacto satisfaciet canoni 85, nec contra canonem 91 peccabit.

Ad canonem 85 § 2 — « Dub. I: Utrum per verbum can. 85 § 2 « benedicentis » intelligatur simplex benedictio an requiratur certus ritus liturgicus. — Resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam », 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 313).

Intime cum praecedenti declaratione haec altera connectitur. Iam dictum est matrimonia orientalium fidelium, ut valide contrahantur, sacro ritu esse munienda; sacer vero ritus ad istum effectum sufficienter habetur per

praesentiam sacerdotis assistentis et simul benedicentis. Benedictio, igitur, actualis, non mere intentionalis, prorsus necessaria est, ut ex ipsis verbis canonis satis constat; secus matrimonium omni valore caret. (*Galtier,* Le Mariage, p. 237, verbum « benedicentis » explicat ita ut sufficiat ad valorem matrimonii quaedam « attitude » seu intentio sacerdotis assistentis contrahentes benedicendi; quodsi postea, quacumque de causa eos non benedicat, matrimonium non ideo nullum erit dicendum. Hanc explicationem iam reiecerat Herman, in Orientalia Christiana Periodica, XVI, 1950, p. 468).

Quoties in matrimonii celebratione ritus in propriis libris liturgicis praescripti servantur (servandi sunt semper extra casum necessitatis, can. 91), sufficienter canonis 85 praescripto fit satis, cum in decursu totius ritus benedictio in contrahentes non semel effundatur. At canon 91 respicit solam liceitatem. Hic autem in quaestionem venit ipsa matrimonii validitas. Quaeritur ergo quandonam et quomodo, ritibus in libris liturgicis praescriptis non servatis, satis fiat verbo « benedicentis », utrum, nempe, necessario ad id determinatus ritus seu formula sit usurpanda, an potius sufficiat quaelibet simplex benedictio.

Canon 85 § 2 loquitur simpliciter de benedictione, qua dictione, etsi ex una parte asseritur necessitas benedictionis actualis, ex alia tamen sufficienter innuitur ad valorem matrimonii satis esse quamlibet actionem vel invocationem quae benedictionem in contrahentes contineat, quin necessario illa actio vel haec invocatio iuxta determinatam formulam seu ritum sit explenda aut aliqua peculiari oratione complenda. Ita intellexerant communius auctores (*Coussa,* De Matrimonio, n. 167 : « Inde voci " benedicentis " plene satisfit unica sacerdotis intervenientis benedictione (solo crucis signo) contrahentibus data »; *Herman,* Adnotationes...; Periodica de re morali 1949, p. 110); et per praesentem declarationem omne

dubium, si quod superfuerit, in re tanti momenti solutum est.

Ad canonem 86 § 1, *n.* 2. — « Dub. I: An vi can. 86 § 1, n. 2 parochus et loci Ordinarius intra fines sui territorii licite et valide assistant matrimonio fidelium sui ritus etiam in locis quae sunt exclusive alius ritus, dummodo adsit expressus consensus Ordinarii vel parochi vel rectoris praedictorum locorum. — Resp.: Affirmative.

Dub. II: Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva. — Resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». 8-VII-1952 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXIV, 1952, 552).

Canon 86 § 1 n. 2 ita se habet: « Parochus et loci Hierarcha valide matrimonio assistunt: 1°...; 2° Intra fines dumtaxat sui territorii sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, modo sint sui ritus ». His verbis canon limitat competentiam parochi et loci Ordinarii ad proprium territorium, sicut etiam apud latinos, ita ut, extra suum territorium prorsus sint incompetentes ad matrimonio valide assistendum, et in suo territorio ipsi sint soli qui iure proprio assistere valent matrimonio. Consequenter, non amplius requiritur, sicut olim requirebatur, praesentia parochi proprii, cum necessaria sit et sufficiat praesentia parochi vel Ordinarii loci in quo matrimonio contrahitur.

Verba « Intra fines sui territorii » sensum amplum et universalem habere videntur, adeo ut nullus excipiatur locus intra territorium positus, ac proinde quo competentia parochi vel Ordinarii quoad validam assistentiam matrimonio, nova limitatione coarctetur. Attamen, statim post promulgatum Motu proprio « Crebrae allatae sunt » orta est controversia circa iurisdictionem in locis exclusivis alieni ritus intra territorium positis. Notum est sive in Oriente sive in aliis territoriis orientalibus, ob peculiarem organizationem Ecclesiarum

orientalium, frequenter accidere posse et de facto accidere, ut in uno eodemque territorio iurisdictionem simul exerceant parochi vel Ordinarii diversorum rituum. In Libano, ex. gr. simul existunt melchitae, maronitae, syri, armeni; in Canada et in America Septentrionali, rutheni et latini; in Brasilia simul cum latinis inveniuntur v. g. etiam maronitae. Unusquisque tamen ritus in territorio ab omnibus ritibus cumulative possesso loca quaedam habere solet, quae sibi iure exclusive vindicat, et ab eis interventum parochi vel Ordinarii alieni ritus excludit. Huiusmodi loca esse possunt: ecclesia, domus episcopalis vel paroecialis, schola dioecesana vel paroecialis, orphanatrophium, etc. Potest etiam contrarium accidere, nempe, quod aliquis ritus in aliquo loco ecclesia vel aliqua privilegiata domo careat, et ad suos actus religiosos peragendos ecclesiam alieni ritus adhibere cogatur.

Hinc oritur quaestio: huiusmodi loca exclusiva unius ritus, etsi intra territorium commune posita, talis sunt naturae ut, quoad exercitium iurisdictionis ex parte parochi vel Ordinarii alieni ritus, aestimanda sint tamquam si invenirentur extra proprium territorium, an potius censeri possint etiam intra fines proprii territorii relate ad parochum vel Ordinarii alieni ritus, ita ut hic possit valide (de liceitate non loquimur) in eis ad libitum actum iurisdictionis ponere, et in concreto, matrimonio assistere? Aliis verbis, illis locis exclusivis coarctatur iterum competentia parochi vel Ordinarii alieni ritus, qui iurisdictionem in communi territorio cumulativam cum auctoritate ritus ad quem pertinent loca ista exclusiva exercet? P. Galtier, admissis locis exclusivis, negabat per ea limitari iurisdictionem auctoritatis alieni ritus; potius admittebat potestatem cumulativam, etsi ad licitum eius usum necessariam dicebat licentiam Ordinarii vel parochi loci exclusivi (*Galtier*, Le Mariage, pp. 294 ss.). P. Coussa, autem, contrarium asserebat, docens auctoritates unius ritus matrimoniis assistere valide

in locis exclusivis alieni ritus non posse, eo quod illa loca exclusiva non sunt territorium *proprium* aliorum rituum. « Parochus ergo, extra propriae paroeciae loca invalide (omissa delegatione) suorum matrimoniis assistit; debet enim in *proprio* territorio esse » (*Coussa,* De Matrimonio, n. 168; hanc eandem sententiam tenuit et propugnavit P. Elie Nijmé in Proche Orient Chrétién, 1952, pp. 69-74). Ista loca, igitur, iuxta hanc alteram sententiam, assimilanda sunt, non quidem locis exemptis, ut est ecclesia religiosorum exemptorum, sed potius locis quae hodie dicuntur extraterritorialia.

Momentum huiusmodi distinctionis nemo est qui non videat, cum ex ea matrimoniorum validitas pendeat. Aliunde controversia ista causa fuerat confusionis, quare opus erat eam componere et dirimere. Quod fecit Commisio per hanc declarationem qua, iterum agnita est existentia locorum exclusivorum et quidem in sensu alterius sententiae.

Haec solutio non est nova, cum iam S. Sedes antea similem controversiam quoad confessiones eodem pacto solverat (Cfr. Decretum S. Congreg. p. Ecclesia Orientali, 26-VIII-1932, et decretum S. Congreg. de Propaganda Fide 2-XII-1932; Sylloge documentorum Congr. Prop. Fid., (1939) nn. 173, 175. Decretum S. Congreg. Orientalis ita dicit: « Il sacerdote orientale, approvato per le confessioni dall'Ordinario del proprio rito, non può esercitare, valide et licite, tale facoltà nei territori e nei luoghi sottoposti all'esclusiva giurisdizione di altro Ordinario di rito diverso, se questi non gliela comunica espressamente. E, quindi, un sacerdote di rito bizantino greco, approvato per le confessioni dal suo Ordinario, non può valide et licite, assolvere, in una Chiesa od Oratorio che siano sottoposti alla esclusiva giurisdizione dell'Ordinario di rito latino, se questi non gli conferisce espressamente tale facoltà »; idem prorsus decrevit Congreg. de Propaganda Fide pro sacer-

dotibus latinis quoad loca ritus byzantini graeci. Haec decreta, quae lata fuerant pro Graecia, postea etiam ad Malankarenses fuerunt extensa).

Opportunitatem huius Responsi ita declarat Herman: « Hodie apud omnes in confesso est, Orientales aequali ratione atque Latinos gaudere iure habendi proprios pastores ubi id fieri possit; quod valet in primis pro Oriente. Negari autem non potest ex hac regula quae aequa et necessaria est, etiam gravia incommoda oriri. Cum enim Episcopi orientales non solum personalem potestatem habent sed etiam territorialem, non secus atque Episcopi latini, consequitur non raro in eodem territorio tres, quattuor, quinque Episcopos iurisdictionem episcopalem habere. Nemo autem non videt quantopere minuatur oportet auctoritas Episcopi, si nullum locum habeat qui ei solum subiectus sit, sed omnia loca semper communia sint cum aliis; idque ubi de locis agatur praecipuis sui ritus, ut ecclesia cathedralis, ecclesiae paroeciales, episcopium, etc. Quod nunc in Responso ad Dubium I Episcopi exclusiva iurisdictio super certa loca sui ritus clare agnoscatur, verus progressus iuris nobis videtur ». (*Herman*, in Monitor Ecclesiasticus, 1952, 426).

Quid vero faciendum, si Ordinarius vel parochus alicuius ritus matrimonio suorum fidelium assistere velit vel cogatur in loco exclusivo alieni ritus intra proprium territorium posito? Si parochus maronita, v. g. matrimonio suorum fidelium velit aut cogatur assistere in ecclesia melchitica, quia in oppido, intra suam propriam paroeciam sito, ecclesia propria caret, aut matrimonium, cui ipse parochus maronita assistere debet, celebrandum sit in quodam peculiari sanctuario intra propriam paroeciam sito sed ad melchitas pertinente, secundum praesentem declarationem opus est ei licentia parochi melchitae, qua licentia posita, ab ipso iure parocho maronitae facultas confertur valide et licite assistendi in loco exclusivo matrimonio suorum fidelium. Huic ergo matrimo-

nio assistit, non tamquam delegatus a parocho loci exclusivi melchitici, sed proprio iure et potestate ei ab ipso iure collata.

Inde magnum habetur discrimen inter disciplinam a canone 86 § 1 n. 2 statutam, et novam disciplinam per praesentem declarationem inductam. Etenim, iuxta primam disciplinam parochus maronita non poterat matrimonio suorum fidelium in loco exclusivo alieni ritus: non proprio iure, quia formaliter extra proprium territorium versabatur; non delegatione facta a parocho vel Ordinario loci exclusivi, quia hic non poterat delegare, sicut non poterat proprio iure isti matrimonio assistere, ne in sua quidem ecclesia, cum deesset conditio de identitate ritus, ab ipso canone requisita ad valorem. Ergo non aliud supererat remedium, nisi recursus ad Sanctam Sedem. Hodie autem, iuxta novam disciplinam, parochus potest matrimonio suorum fidelium et valide et licite assistere, non per delegationem, ut diximus, sed per potestatem ei a iure concessam. Consensus Ordinarii vel parochi loci exclusivi requiritur tantum ut condicio, qua posita, ius ipsum facultatem concedit.

In hac facultate a iure concessa stat extensio de qua sermo est in responsione ad alterum Dubium: « Ante huius Responsi promulgationem Hierarcha loci et parochus invalide in his locis adstiterunt [matrimoniis], nunc valide assistunt » (*Herman,* Monitor Ecclesiasticus, 1952, p. 427, ubi ipse P. Herman suam sententiam proponit de nullitate eorum matrimoniorum quae in locis exclusivis ante hoc Responsum fuerant celebrata; quibus tamen iudicamus applicandum esse favorem can. 209 CIC).

Iste consensus parochi, vel Ordinarii vel rectoris loci exclusivi, qui iuxta Responsum *expresse* est concedendus, potest etiam modo generali, sive quoad sacerdotes, qui matrimoniis in loco exclusivo assistere debeant, sive quoad matrimonia in eo ineunda, concedi: consensus enim iste

minime delegationi de qua agit can. 87 § 1 est aequiparandus.

Ad canonem 86 § 1 n. 2: « Dub.: An verba can. 86 § 1 n. 2 « ... sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, *modo sint sui ritus* ... » collata cum verbis can. 1095 § 1 n. 2. CIC: « ... in quo (territorio) matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt », ita intelligenda sint ut parochus et loci Hierarcha orientalis ritus valeant valide assistere matrimonio duorum fidelium latini ritus, itemque ut parochus et loci Hierarcha latini ritus valide assistere valeant matrimonio duorum fidelium orientalis ritus. Resp.: Negative ». 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 313).

Iuxta canonem 86 § 1 n. 2 Mp. « Crebrae allatae sunt » parochus et loci Hierarcha orientales intra fines sui territorii valide assistunt matrimoniis quorumlibet fidelium, sive ii sint subditi sive non sint subditi, dummodo tamen contrahentes, aut unus saltem eorum, ad ritum parochi vel Ordinarii loci pertineant. Aliis verbis, parochus et Ordinarius loci orientales intra fines sui territorii possunt valide assistere matrimoniis omnium fidelium sui ritus, sive sint subditi sive non sint subditi. Competentia, igitur, sive parochi sive loci Ordinarii orientalium est territorialis, et simul personalis, quatenus illa competentia restringitur ad fideles proprii ritus, qua voce hic venit Ecclesia particularis, v. g., melchitica, maronita, rumena, etc.; et ab eadem competentia excluduntur fideles pertinentes ad ritum diversum a ritu parochi vel Ordinarii loci, sive agatur de alio ritu diverso orientali, sive de latino ritu: omnes enim ritus diversi excluduntur illa generali clausula canonis « modo sint sui ritus ». Id omnino certum erat quoad ceteros diversos ritus orientales. Ad latinos quod attinet, nullum verum et proprium dubium, ni fallor, haberi poterat, attenta universalitate clausulae. Quidquid vero fuerit, hodie authentice declara-

tum habemus illam clausulam referri quoque ad latinos, eosque excludi, in celebratione matrimonii, a competentia parochi et Ordinarii loci orientalium. Ergo, sive parochus sive loci Ordinarius orientales intra fines sui territorii nequeunt valide assistere matrimonio *duorum* fidelium latini ritus.

Canon respectivus in CIC, 1095 § 1 n. 2, clausula illa caret, ac proinde hucusque sive parochus sive loci Ordinarius latini amplissima gaudebant facultate quoad assistentiam matrimoniis intra fines sui territorii. Ipsi enim, intra suum territorium plenam habebant facultatem assistendi valide matrimoniis quorumlibet fidelium sive hi subditi essent sive non subditi, quia illa competentia territorialis de qua canon 1095 § 1 n. 2 non subibat illam restrictionem quam patitur competentia, item territorialis parochi et loci Ordinarii orientalium. At hodie, vi Responsi de quo hic est quaestio, competentia territorialis canonis 1095 § 1 n. 2 ita restringitur, ut non iam extendatur ad matrimonia duorum fidelium qui non pertineant ad ritum parochi vel Ordinarii, id est, duorum fidelium orientalis ritus.

Diversitas conceptus competentiae quae habetur in canone 86 Mp., et in canone 1095 CIC; limitatio per dictam clausulam in Mp. imposita, et eiusdem clausulae defectus in CIC, et tandem Responsum de quo hic est quaestio satis explicantur ex diversitate circumstantiarum in quibus versabantur et versantur fideles orientales et latini. Nam, cum apud orientales non raro, imo frequenter, in uno eodemque territorio plures habeantur hierarchiae ad diversas ecclesias pertinentes, ad vitanda dissidia et ad pacem procurandam, necesse fuit illam competentiam territorialem eo pacto limitare, ut singuli Hierarchae, etsi unusquisque in suo proprio territorio, suam iurisdictionem nonnisi in fideles ad suam propriam Ecclesiam seu ritum pertinentes exercere possint. Pro casu concreto de quo agimus hic, id obtentum est per clau-

sulam « modo sint sui ritus ». Cum Codex latinus promulgatus est, similis ratio non urgebat, ut ista limitatio in canonem 1095 induceretur. Hodie, tamen, cum ob valde mutata adiuncta, in pluribus nationibus in uno eodemque territorio hierarchiae diversorum rituum orientalium una cum latina coexistere inveniantur, fortasse necessarium aut saltem conveniens aestimatum est, illis iisdem incommodis, quae quoad orientales vi canonis 86 § 1 n. 2 satis praeveniuntur, etiam in territoriis latinorum opportune occurrere. Id factum est, competentiam quam parochus et loci Ordinarius latini intra suum proprium territorium possident, ad matrimonia fidelium latini ritus restringendo. Consequenter deinceps et vi Responsi neque parochus neque loci Ordinarius latini in suo territorio possunt valide assistere matrimonio *duorum* fidelium orientalis ritus.

Auferturne absolute a parocho et loci Ordinario latinis facultas assistendi, intra proprium territorium, matrimonio duorum fidelium orientalium? Quaestio haec, ut patet, magnum habet momentum, cum hodie non pauci fideles orientales in territoriis latinorum, coacte aut voluntarie, commorentur, et matrimonium in iis locis et coram sacerdotibus latinis inire saepe cogantur. Huic quaestioni provisum est in canone 86 § 2 Mp. « Crebrae allatae sunt », vi cuius « Matrimonio fidelium diversi ritus valide assistit Hierarcha loci et parochus qui ad normam § 3 nn. 2-4 est eorum proprius Hierarcha vel parochus ».

Quisnam sit parochus vel loci Ordinarius proprius determinatur in nn. 2-4 paragraphi tertiae hoc pacto: « 2° Deficiente parocho pro fidelibus alicuius ritus, horum Hierarcha designet alius ritus parochum, qui eorumdem curam suscipit, postquam idem Hierarcha habuerit consensum Hierarchae parochi designandi; 3° Extra territorium proprii ritus, deficiente huius ritus Hierarcha, habendus est tamquam proprius, Hierarcha loci. Quodsi plures sint, ille habendus est tamquam proprius, quem desig-

naverit Sedes Apostolica vel, obtento eius consensu, Patriarcha, si iure particulari cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est; 4° Proprius vagi parochus vel Hierarcha est sui ritus parochus vel Hierarcha loci ubi vagus actu commoratur; deficiente parocho vel Hierarcha sui ritus, serventur normae in nn. 2-3 statutae ». Sed in hoc casu, directe attenditur, non ad circumstantiam ritus, quia ritus ex hypothesi est diversus, neque ad competentiam territorialem (ut in § 1°), sed ad titulum vi cuius parochus et loci Ordinarius fiunt contrahentium « proprii » ad normam § 3. Hac ratione illa incommoda quae ex iurisdictionis confusione provenire possent, sufficienter praeveniuntur et simul necessitatibus occurrentibus providetur.

Ne necessitas aequalitatis ritus contrahentium cum ritu parochi vel Ordinarii loci nimis extendatur, satis sit hic animadvertere, istam aequalitatem non requiri in sacerdote a parocho vel ab Ordinario delegato ad assistendum matrimonio. Nam, canon 86 agit tantum de parocho et de Ordinario loci, et canon 87, qui condiciones ad delegandam potestatem recenset, nullam mentionem facit huius requisiti, nempe ritus sacerdotis delegandi.

Aliunde, ut aequalitas ritus contrahentium cum ritu parochi vel Ordinarii habeatur, non sufficit illa universalior aequalitas qua quis ad ritum communem seu fundamentalem pertinere dicatur, v. g. ad ritum byzantinum; sed requiritur ut ista aequalitas habeatur in ritu particulari, e. g. in ritu rumeno, rutheno, melchitico, qui ritus omnes in ritu generali byzantino comprehenduntur. Huius rei ratio est quia in casu non agitur tantum de quaestione liturgica, ad quam fortasse sufficeret illa generalis aequalitas, sed de iurisdictione, et unusquisque per particularem ritum, non autem per solum ritum generalem, propriam Ecclesiam et propriam Hierarchiam sibi acquirit.

Ad canonem 88 § 3. Dub.: An praescriptum can. 88 § 3 « matrimonia autem catholicorum mixti ritus in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ... » abroget praescriptum can. 1097 § 2 CIC « matrimonia autem catholicorum mixti ritus, *nisi aliud particulari iure cautum sit,* in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ». Resp.: Affirmative. 3-V-1953 (*Acta Apostolicae Sedis,* XXXXV, 1953, 313).

Paragraphus 3ª can. 88 Mp. « Crebrae allatae sunt » ita se habet: « Matrimonium coram sponsi parocho celebretur, nisi vel legitima consuetudo aliud ferat vel iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda, nisi vir, domicilium vel quasi domicilium habens in regione orientali, consentiat ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur ». Paragraphus autem 2ª can. 1097 CIC dicit: « In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, *nisi aliud particulari iure cautum sit,* in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ». Ex comparatione utriusque canonis statim apparet, normam statutam pro celebrandis matrimoniis fidelium eiusdem ritus aliam esse in CIC, aliam in Motu proprio; in CIC enim praescribitur ut celebretur *pro regula coram sponsae parocho,* nisi iusta causa excuset; iuxta vero Motu proprio nuptiae ineundae sunt *coram sponsi parocho,* nisi vel legitima consuetudo aliud ferat, vel iusta causa excuset. Praeferentia quae in Motu proprio datur parocho sponsi, praeterquam quod magis congruit cum aliis iuris dispositionibus, fundamentum habet in traditione orientali, quod « facile comprehendit qui condiciones Orientis, praecipue temporibus praeteractis mente recolat et statum socialem mulieris quae in publico parum apparebat » (*Herman,* Monitor Ecclesiasticus, 1953, 583).

Aliud quod ex comparatione duorum canonum quoad

alteram eorum partem apparet, est identitas normae pro celebratione matrimonii catholicorum mixti ritus: in utroque enim casu et ritus et parochus sponsi praefertur. Huius uniformitatis disciplinae rationem ita declarat P. Herman: « Facilius enim admittitur differentia disciplinae rituum, ubi singuli ritus suam disciplinam bene ordinatam sequuntur... Sed si leges pro diversitate ritus alterius partis mox parochum sponsi, mox parochum sponsae matrimonio assistere statuunt, facile perturbationes et difficultates oriuntur. Ob hanc rationem forte Mp omnibus matrimoniis mixti ritus eamdem regulam applicavit » (*Herman*, in Monitor Ecclesiasticus, 1953, 583-584).

At in can. 88 § 3 deest illa clausula « nisi aliud particulari iure cautum sit » quam habet can. 1097 § 2 CIC; hinc iure quaeri potest: cur omissa est ista clausula? et quaenam est huius omissionis vis?

Ad primum quaesitum respondemus, illam clausulam respexisse determinatas disciplinas apud quosdam orientales tempore promulgationis Codicis adhuc vigentes, quas legislator, ob ponderosas rationes, salvas voluit. Hodie autem cum per Motu proprio disciplina celebrationis matrimonii mixti ritus ad unam reducta sit (can. 88 § 3), quae aliunde coincidit cum illa quam imponit can. 1097, § 2 CIC, non amplius existit ratio illius exceptionis.

Ius particulare de quo in clausula canonis 1097, § 2 est quaestio vigebat apud italo-albanenses et apud ruthenos Galiziae, Sta. Foederat. Americae Septentrionalis, et Americae Meridionalis. Pro primis iam Benedictus XIV decreverat: « Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter maritum vero graecum et mulierem latinam, potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino parocho, ubicumque maritus graecus voluerit » (Etsi Pastoralis, VIII, n. 11 ;Col. Lacens. II, col. 527; hanc

disciplinam receperat Sinodo Intereparchiale delle eparchie di Lungro e Piana degli albanesi e del Monasterio eparchico di S. M. di Grottaferrata, 1910, art. 228). Quoad ruthenos Galiziae, matrimonium, vi antiquissimae consuetudinis, ineundum erat in ritu et coram parocho sponsae, quam consuetudinem etiam in matrimoniis inter latinum et ruthenum esse servandam, statuit decretum « Concordia » dictum, simul permittendo ut matrimonium coram parocho sponsi celebraretur, si ambo contrahentes id petierint (Decretum Congreg. de Prop. Fid., 6 oct., 1863; Col. Lac., 564); haec disciplina iterum confirmata fuit per extensionem ad ruthenos Galiziae decreti « Ne temere » (S. Congr. de Prop. Fid., 4 maii 1911, protocol. 29958). Idem decretum « Ne temere » anno 1913 extensum est ad ruthenos degentes in Canada; anno 1914 ad eos qui in Stat. Foeder. Americ. Septentrion., et anno 1916 ad ruthenos in America Meridionali commorantes. Apud duos postremos vigebat plene decretum « Ne temere »; pro ruthenis in Canada, autem, facta est exceptio, vi cuius matrimonium mixtum in ritu viri et ab eiusdem parocho erat benedicendum (Acta Apostolicae Sedis, 1913, p. 398; 1914, p. 463; 1916, p. 107).

Haec erat disciplina vigens tempore promulgationis Codicis, et eo tempore scopum habebat clausula canonis 1097 § 2. Post promulgatum Codicem, S. Congreg. pro Eccles. Orient. aliquas innovationes induxit in hac re pro ruthenis Canadae et Americae Septentrionalis. Quoad ruthenos in Canada degentes, sublata exceptione de qua modo diximus, urgebat plenam executionem decreti « Ne temere » nisi iusta causa excusaret (Acta Apostolicae Sedis, 1930, p. 363). Hoc pacto uniformitas habebatur apud ruthenos omnes. Sed eadem S. Congreg. pro Eccles. Orient. anno 1940 quandam relaxationem admisit pro rutenis in Stat. Foeder. Americ. Septentrion. commorantibus, quorum matrimonia mixti ritus celebrari debebant quidem iuxta praescripta decreti « Ne temere », at simul

permisum est « quod si iusta causa adsit, poterunt nuptiae celebrari in ritu viri de iudicio et de consensu Ordinarii loci » (Acta Apostolicae Sedis 1941, p. 27); hac concessione progressus quidam factus est in sensu Codicis et in sensu futurae legis orientalis.

Ad alterum quaesitum supra propositum, nempe, de vi omissionis clausulae in canone 88 Mp., an scilicet secum tulerit abrogationem clausulae in canone 1097 § 2 CIC contentae, responsum dedit affirmativum Commissio Codicis. Huiusmodi abrogatio facta est, non a Commissione Codicis in Responso dato, sed potius ab ipso canone 88 § 3 a momento quo Motu proprio « Crebrae allatae sunt » vigere coepit, id est a die 2 maii 1949. Etenim formula illa amplissima qua abrogatum est ius contrarium (Acta Apostolicae Sedis, XXXXV, 1949, 117); ipsa formula absoluta et universalis canonis 88 § 3, praesertim si prae oculis habeatur exceptio in eodem canone facta, satis clare indicabant voluntatem legislatoris non amplius servandi illud ius particulare a canone 1097 § 2 CIC praeservatum. Quod iterum confirmatur ex ipso modo quod dubium propositum et solutum est a Commissione Codicis.

Admirationis tamen causa esse posset, quod canon 88 § 3, qui disciplinam orientalium ad disciplinam Codicis reduxit, simul novam induxit exceptionem seu melius permissionem, vi cuius vir, domicilium vel quasi domicilium habens in regione orientali, consentire valet ut matrimonium ritu sponsae et coram eiusdem parocho celebretur. Ut admirationem temperemus, animadvertimus hanc permissionem valere solum pro regionibus orientalibus, in iis nempe locis, in quibus, etsi in eparchiam, provinciam, archiepiscopatum vel patriarchatum non erectis, orientalis ritus ab antiqua aetate servatur (Acta Apostolicae Sedis, XXXXIV, 1952, 144); non igitur extenditur ad omnes orientales. Hoc posito, sine difficultate inveniri poterit huius concessionis ratio, quam ut declaremus libenter ver-

bis saepe laudati P. Herman utimur: « Servire igitur debet nova exceptio in primis bono rituum orientalium et eorum consolidationi. Propter multiplicitatem rituum in his regionibus non raro accidit ut sponsus ingrediatur familiam alius ritus; in hoc casu non raro confert ad pacem internam familiae et ad pietatem communem promovendam, si vir se conformat ritui sponsae, non vice versa. Unde hoc praescriptum quoque, quod initio forte singulare videtur, iusta ratione inniti apparet ». (*Herman;* Monitor Ecclesiasticus, 1933, p. 584).

C. Pujol S. J.

De vi canonis 2254 § 1 in ordine ad absolvendum a peccatis ratione sui reservatis

Nos eadem est opinio moralistarum circa applicabilitatem facultatis can. 2254 § 1 concessae ad peccata ratione sui reservata.

Nimirum, omnibus perspicuum est vi istius canonis provideri absolutione quarumlibet censurarum, saltem latae sententiae reservatarum; imo, ut nobis videtur, etiam censuram ferendae sententiae per praeceptum peculiarie vel sententiam condemnattoriam inflictarum in adiunctis et cum exceptione speciali quae ab auctoribus communiter exponuntur ad normam canonum. Sed diversae existunt sententiae de extensione vel non extensione illius facultatis extraordinariae ad peccata ratione sui sine censura reservata; dum enim alii analogiam iuris invocant et extensionem admittunt, alii eam negant, sive probabilitatem sententiae adversae saltem extrinsecam concedentes, sive eamdem non attendentes, alias explicite, alias implicite in quantum controversiam alto silentio praetereunt.

Relatis opinionibus existentibus, conabimur sententiam negativam, quam omnino veram putamus, argumentis fulcire, et quidem impetendo simul rationes in contrarium afferri solitas; unde earum probabilitas intrinseca corruat, et simul extrinseca, quippe quae ex illis rationibus sustentatur, infirmior appareat.

Ceterum, si nostra mens de interpretatione canonis 900 vera evadit, nunquam aderit conflictus cui volunt occurrere auctores impugnandi, qui commodiori ratione pro paenitente non solvatur per nostram interpretationem, sine recursu ad opinionem fortasse arbitrariam et vix non certo inutilem, quae extendit facultatem can. 2254 § 1

etiam ad absolutionem peccatorum ratione sui reservatorum.

1. *Ex analogia iuris absolvi posse peccata ratione sui reservata* ad normam c. 2254 § 1 existimant nonnulli auctores, quorum praecipuos, et vix non omnes, recensemus:

F. Cappello sic mentem suam de hac re manifestat: « Hoc principium valet quoque pro absolutione a casibus *episcopalibus*... et quidem non solum a reservatis *cum censura*, quod evidens est ex verbis can. 2254, verum etiam a reservatis *sine censura*, quod *ex analogia iuris indubitenter* affirmandum ». Et inferius notat discrimen inter casum reservatum cum censura et sine censura in ordine ad reincidentiam omisso recursu; in posteriori, enim, « si non recurrit, etsi culpabiliter, non datur poena reincidentiae; non in *idem peccatum*, quia absolutione iam deletum, non in censuram, quia non aderat » [1].

I. Teodori, postquam statuit vi cononis posse a censuris cuiuslibet gradus reservationis absolvi, addit: « et per analogiam iuris *a casibus quoque sine censura reservatis* ». Subiungit, autem, discrimen inter utramque absolutionem: « nam si quis a peccato reservato cum censura absolvitur, et intra mensem non recurrit, iterum incidit in censuram; dum absolutus a peccato reservato sine censura, etsi culpabiliter non recurrat, non reincidit in peccatum, per absolutionem iam deletum, non in censuram, in quam non incurrit » [2].

F. Roberti, refert sententiam affirmativam aliorum, eamque aperte approbat his verbis: « *Non immerito* censent onulli doctores *ob analogiam ex casibus urgentioribus* posse absolvi *etiam peccata ratione sui reservata*, e. g. falsa denuntiatio sollicitationis de qua in can. 894,

---

[1] *De censuris*[4] (Turín 1950) 125, 5°.

[2] *Absolutio a censuris in casibus urgentioribus* in *Consultationes iuris canonici* I (Roma 1934) pag. 282.

non obstante praescripto canonis 900. Quo in casu doctores putant *firmam manere obligationem recurrendi, non tamen sub reincidentia,* quia peccatum absolute remissum est » [3].

Ferreres-Mondria est alius ex paucis quibus can. 2254 « videtur etiam extendi ab absolutionem a peccatis sine censura, quod inferri posse videtur: *a*) ex eo quod decretum a. 1888 complectebatur etiam absolutionem a peccatis reservatis sine censura; *b*) ex eo quod haec absolutio a peccatis reservatis sine censura potest esse non minus urgens, quam alia a reservatis cum censura » [4]. Referebat hanc argumentationem, eidem non infensus, Arregui [5]; sed in editionibus post mortem illius praeparatis mutata est sententia [6].

Fanfani non modo admittit probabilem valorem canonis 2254 § 1 pro casibus ratione sui reservatis, verum etiam eam « *hodie sat communem* » esse affirmat. Rationes adducit, sicut Ferreres-Mondría, quod in decreto S. Paenitentiariae a. 1888 comprehendebantur peccata reservata, quodque urgentia absolutionis eadem potest esse pro eis. In solvenda difficultate quae est circa non reincidentiam (cf. infra 3 e), ait imponi *posse* recursum ad superiorem et quidam sub gravi, unde « patet quod finis reservationis satis efficaciter etiam in casu consequitur ».

---

[3] *De delictis et poenis* I[2] (Roma 1944) 317, pag. 360 nota 3. Et adducit auctoritatem Teodori et Cappello.

[4] *Compendium theologiae moralis* II[17] (Barcelona 1950) 638. De hac argumentatione iure concludit Vermeersch, *Theologiae moralis principia* III[3] 437, 3: « Res tamen istis argumentis parum demonstratur ».

[5] *Summarium theologiae moralis*[12] (Bilbao 1934) 615 nota.

[6] Cf. *Compendium theologiae moralis*[20] curante P. Zalba (Bilbao 1952) 615.

[7] *Manuale theorico-practicum theologiae moralis* IV (Roma 1951) 355 dub. VII. Allegatum responsum S. Paenitentiariae non includit directe peccata reservata in absolutione casus urgentioris. Cf. *Fontes I. C.* VIII, 6437.

M. Conte a Coronata, personaliter adversarius opinionis affirmative, concludit tamen hoc pacto suam expositionem: « Verum quia mitiori opinioni probabilitas saltem *extrinseca* denegari nequit, *poterit in praxi* norma c. 2254 etiam ad casus reservatos sine censura extendi » [8].

2. *Hanc opinionem non approbant, eique adversantur explicite,* saltem quod attinet ad personale ipsorum iudicium, plures auctores theologiae moralis, quibus annumerandi sunt fere omnes illi qui scripserunt Institutiones iuris canonici qui, aut silentio praetereunt hanc controversiam, et sic implicite negare videri possunt vim opinioni extendenti efficaciam can. 2254, aut eam commemorant, generatim ut disconforme extensioni criterium prodant. Iuvat aliquos huiusmodi textus similiter proferre.

Th. A. Iorio quaerit an absolutio quae conceditur ad normam can. 2254 possit extendi ad peccata reservata sine censura, et respondet: « Inspecto c. 2254 coll. cum. can. 893 § 3 *neg.* respondendum videtur. Verum quidem est quod vetus concessio et ad reservata sine censura extendebatur. Sed de ista extensione Codex silet; unde ea vim omnem amisisse dicenda est ad normam can. 6, 6°, eo magis quod de *potestate* in reservata sine censuris in loco distincto Codicis *exclusive* agitur » [9].

B. H. Merkelbach inter limitationes c. 2254 hanc ponit: « Casus indicantur pro absolutione a censuris reservatis, *non pro peccatis ratione sui reservatis* nominatim tertius », quod scl. durum sit paenitenti in statu

---

[8] *Institutiones iuris canonici* IV[3] (Turín 1948) 1762. Similem resolutionem *practicam* admittit Iorio, *Theologia moralis* III[6] (Nápoles 1940) 590, cum scribit: « si cui in aliquo casu urgentiore reservationis sine censura videtur non posse applicari can. 900, is poterit absolvere *probabiliter* (probabilitate saltem *extrinseca*) ad normam can. 2254 ».

[9] *Theologia moralis* III[6] (Nápoles 1940) 590.

peccati gravis diutius permanere. Et addit conclusionem, ut putamus erroneam, de qua inferius dicemus[10].

I. Ubach punctum controversum sit indicat: « Pro reservatis sine censura non apparet satis fundamenti [ad absolutionem], cum canon 2254 taxative agat de censuris, maxime cum reservationes censurarum regantur normis propriis, ut expresse monet can. 893 § 3). Et proponit, perperam ut nobis videtur, tanquam solutionem in casu urgenti peccati huiusmodi absolvendi, absolutionem directam aliorum peccatorum et indirectam peccati ratione sui reservati[11].

M. Conte a Coronata, cuius benignum iudicium de opinione contraria superius retulimus, sic propriam mentem exponit: « Aliqui auctores id extendunt ex analogia etiam ad casus reservatos ratione peccati sine censura. *Vis tamen analogiae tanta non esse videtur,* ut facultatem concedat absolvendi, quando id in lege clare non conceditur, et etiam ex eo quod in peccatorum ratione sui reservatorum absolutione, ratio analogiae legalis non occurrit nisi partialiter... »[12].

3. *Controversia sic stante, potestne sine immodestia aliquid tanquam definitivum proferri in favorem alterutrius opinionis, ita ut alia possit ac debeat oblivioni amandari,* saltem ut plane inutilis efficaciae ad finem cui vult consulere, sin minus probetur improbabilis? Censemus, demonstrari posse extensionem facultatis per canonem 2254 § 1, concessae ab absolutionem censurarum in casibus urgentioribus, fieri ad peccata reservata minore rigore iuridico, et ideoque recusandam utpote inutilem et minus benignam ad subveniendum incommodis argumenta.

---

10 *Summa theologiae moralis* III³, 597 d.

11 *Compendium theologiae moralis* II (Friburgo de Br. 1927) 660, pag. 264 nota 2.

12 Opere et loco cit. in nota 8.

quae aliam solutionem plenam et magis iuridicam magisque favorabilem habent pro paenitentibus. En nostra

a) Codex diversas normas statuit pro reservatione peccatorum et censurarum non solum quoad facultatem reservandi ut, expresse monet c. 893 § 3, sed etiam quoad condiciones peccatorum et censurarum et quoad facultatem absolvendi ab aliis et aliis, utcumque plura de utraque re dicenda simillima erant et communi norma simplicius includi potuissent [13]. Haec facile patent consideranti canones 893-900 exponere normas de reservatione *peccatorum*, in tractatu de paenitentia, dum normae de *censuris* remittuntur ad canones 2241 ss., in libro V de delictis et poenis. Quare iure scribit VERMEERSCH-CREUSEN: « Non consentimus commentatoribus qui normas unius ad alteram transferunt » [14], confundentes quae legislator voluit manere distincta, vel argumentum analogiae nimia facilitate invocantes. Si ergo hoc argumentum non appareat necessarium et per leges rectae interpretationis permissum, non erit admittendum.

b) Ad normam c. 6, 3° « Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt... qua discrepant sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi ». Talis est casus reservatorum peccatorum et censurarum. Retinetur in novo iure reservatio utriusque speciei, sed in ordine ad absolutionem in circumstantiis urgentibus diversa est disciplina statuta in c. 900 et 2254. Proinde, quanquam decretum a. 1888 complectebatur implicite etiam absolutionem a peccatis reservatis sine censure, haec nulla est per se ratio ut vis c. 2254 applicetur adhuc ad peccata reservata absolvenda; nam solum « *in dubio* num ali-

---

[13] Cf. v. gr. de *limitibus* facultatis reservandi c. 898 in relatione cum 2247 § 1; de *condicionibus* casuum reservandorum c. 897 in relatione cum 2242 § 1 et 2246 § 1; de *cessatione* reservatorum c 900, 3 in relatione cum 2247 § 2.

[14] *Epitome iuris canonici* III[6] (Malinas 1946) 441.

quod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum » (c. 6, 4°).

c) Analogia iuris sine ratione sufficienti profertur in casu, pro remedio scl. innecessario conflictus cui satis superque provisum est in c. 900, ut statim ostendemus. Porro, c. 20 istam applicationem analogiae non admittit, nisi «certa de re desit expressum praescriptum legis... ». Iam vero, vel ipsi auctores qui extendunt vim c. 2254 ad absolutionem censurarum, non raro admittunt vix posse occurrere casum cui per hoc remedium sit medendum. Sic v. gr. CAPPELLO, postquam proponit applicationem, « si in aliquo casu *urgentiore* videatur peccator absolvi non posse a peccatis ab Episcopo aliisve reservatis, eo quod reservatio ipso iure non cesset ad normam can. 900 », sincere addit: « Quod tamen, speculative tantum dictum volumus, cum *revera vix illud verificari* possit » [15].

d) Canon 900 providet absolutioni peccatorum ratione sui reservatorum decernendo ut *quaevis reservatio omni vi careat,* adeoque casus cesset esse reservatus, inter alias circumstantias cum « prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo superiore peti nequeat *sine gravi paenitentis incommodo* ». Iam vero, in interpretando hoc gravi incommodo confessarius nec debet nec potest esse severior quam in diiudicanda existentia casus urgentioris pro absolutione censurarum ex eo quod « durum sit paenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat » (c. 2254 § 1).

Grave, igitur, paenitentis incomodum haberetur, si pro absolutione statim recipienda deberet paenitens remitti ad confessarium privilegiatum apud quem iteraret

---

15 *De sacramentis* II⁴ (Turín 1944) 402, 5. Similiter FERRERES-MONDRIA, *Compendium th. mor.* II¹⁷, 638; CORONATA, l. c.

accusationem; si per diem integrum [16] permanere deberet sine absolutione quam, sive ex spontanea detestatione status peccati, sive ex dispositione a confessario provocata ut afficiatur dolore et desiderio immediatae pacis animae obtinendae, cupiat quam primum excipere. Iure notat TANQUEREY ad rem: « Illud autem incommodum sane *gravius exigi non debet* ac illud quod sufficiens reputatur ab ipso Codice (c. 2254) pro immediata absolutione a censura reservata » [17]. Unde approbare non possumus hypothesim ab UBACH factam, et solutionem eidem propositam: « si igitur praedictus casus [urgentior *episcopalis;* sic ille] occurrat [cui c. 900 non satisfaciat], absolutio, addito alio peccato non reservato, directe dari posset a non reservato, indirecte a reservato, cum onere proinde id in alia confessione accusandi » [18]. Nec magis patet nobis unde Patri MERKELBACH videatur « Ecclesia magis urgere reservationem, si peccatum ratione sui quam si solum ratione poenae reservetur » [19]. Verum, contra, est c. 2254 remanere in casibus ordinariis obligationem ulterioris recursus, et in extraordinariis adiungendam esse congruam poenitentiam et satisfactionem pro censura (c. 2254 § 4), quae in casu peccatorum non obtinent; et cetera motiva in c. 900 recensita tamquam

---

[16] Hoc communiter admittunt moralistae et canonistae, et congruit cum responso S. Paenitentiariae 4, V, 1904. Quodsi aliquando durum possit esse censurato, ex peculiari eiusdem dispositione, per unam alteramve horam remanere sine absolutione a censura impediente susceptionem sacramentalis absolutionis, ut innuit CAPPELLO (*De censuris*[4] 124, 4°), idem tuto applicari poterit ad peccatorem qui indiget absolutione a peccato reservato.

[17] *Synopsis theologiae moralis* I[11] (Tournai 1930) 459. Generalius sed cohaerenter loquitur MIGUELEZ in annotatione c. 900: « la incomodidad grave por parte del penitente ha de estimarse por el confesor con criterio de cierta amplitud ». *Código de derecho canónico*[3] (Madrid 1949).

[18] *Compendium theol. mor.* II, 660, pag 264 nota 2.

[19] *Summa theol. moralis* III[3], 597, 3° d.

sufficientia ut reservatio peccatorum omni vi careat, non suadent hoc severius iudicium circa indolem gravis incomodi. *Accedit* dispositio circa facultatem sive habitualiter concedendam sive en ipso iure concessam pluribus sacerdotibus ad absolvendum ab huiusmodi peccatis ad normam c. 899 § 2-3.

Quod et confirmationem videtur accipere ex manifestationibus theoricis et practicis plurium Ordinariorum loci. Nam in ordine *practico* in dies augetur numerus eorum qui peccata ratione sui iure dioecesano reservata penitus tollunt [20]; et in ordine *theorico* Synodus Seguntina post cons. 535 notavit: « Peccata reservata praetermittuntur, quia momentum hodie non habent »; Concilium autem provinciale granatense sic decretum 291 redegit: « Ad mentem hodiernam Ecclesiae optandum est ut reservationes diocesanae hucusque exstantes ab Episcopis supprimantur data opportunitate; neque nova peccata reserventur, nisi forte in aliquo casu specialissimo, ubi evidens sit utilitas ». Quae sane explicationes hoc videntur significare, quod reservatio peccatorum iam non potest efficaciter sustineri in plerisque casibus, ideoque non est alienum a mente Ecclesiae ut casus reservati diocesani dispareant.

e) Opinio quam impugnamus habet difficultatem non parvam in eo quod, applicato c. 2254 quoad absolutionem impertiendam, privata auctoritate declarat absentiam obligationis instituendi recursum sub poena reincidentiae intra mensem ab obtenta absolutione. Certe gravamen recursus et eventualis reincidentiae ex analogia iuris nequit afficere absolutos a peccatis reservatis in casu urgentiore, vetante legislatore (cf. c. 20. 2219 § 3); at quaenam est illa legitima analogia quae operatur quod est principale sed

---

[20] Sic suppressa sunt in dioecesi romana et in omnibus dioecesibus Belgii; in Hispania in archidioecesi valentina, in dioecesibus matritensi, seguntina, sebastianopolitana, etc. Similiter in pluribus Institutis religiosis.

seiungit ab eo accessorium, quod sequatur oportet principale? Auctores tamen qui admittunt opinionem hic impugnatam monere in casu peccatorum in casibus urgentioribus absolutorum non obligare recursum, et minus ad reincidentiam « non in idem peccatum, quia absolutione iam deletum, non in censuram, quia non aderat », scribit CAPPELLO [21]; at ne in casu quidem aboslutae censurae reincidentia est in censuram numerice eandem; sed in non recurrendo sine legittima excusatione habetur grave peccatum, cui accedit censura eiusdem speciei atque illa quae fuerat sublata. In casu, igitur, peccatorum, si canon habet vim et applicationem, absolutio esset danda sub onere reincidentiae in *reservationem*, applicatam scl. peccato quod haberetur in omittendo culpabiliter recursu. Hoc peccatum non audent determinare; nonne quia applicatio canonis 2254 § 1 ad peccatorum absolutionem revera non obtinet?

f) Restat commemorare argumentum probabilitatis *extrinsecae*, quae non obstantibus considerationibus praecedentibus remaneat sententiae contrariae. In rebus controversis in quibus hinc inde existunt opiniones inter auctores catholicos, probalitas exstrinseca tantum valet et tantum ab eius patronis sustinetur quantum argumenta in quibus fundatur. Iam vero, argumenta potiora quae allata sunt in favorem extensionis sunt quaedam necessitas et ius antiquum quod in casibus urgentioribus etiam peccata comprehendebat. Sed neutrum eorum valere ostendere conati sumus, et nobis haud videtur dubia reformatio disciplinae prioris in hoc puncto, ut vi c. 6 sustinatur abrogata dispositio quae vi c. 20 non possit conservari.

Obicietur fortasse analogiam iuris admitti a plerisque auctoribus in applicandis ad absolutionem peccatorum reservatorum facultatibus concessis in c. 2247 § 3.

---

[21] *De censuris* 125, 5°.

2249 § 2 pro absolutione censurarum. Respondemus hoc verum esse; et nos ipsi affirmamus *probabiliter* tolli *reservationem* peccati reservati, quando illud bona fide reticetur in confessione apud confessarium gaudentem facultate ad illud absolvendum, et similiter si peccatum reservatum accusatum fuerit apud confessarium ignarum reservationis et per se expertam potestate ad eam tollendam [22].

At in his casibus, quia in statuendis normis c. 2247 § 3. 2249 § 2 legislator intendit efficaciter providere conflictibus huiusmodi perinde possunt occurrere in peccatis et in censuris, iure applicamus normam c. 20; et *ubi deest expressum praescriptum legis,* regulam sumimus a legibus latis in similibus, nam ubi eadem est ratio, ibi sit oportet eadem legis dispositio, et dispositio adesse videtur ad normam istius canonis.

M. Zalba S. I.

---

22 Arregui-Zalba, *Compendio de teología moral*[4] (Bilbao 1954) 611 b; 616 b.

NOTITIAE SACRAE LITURGIAE

Secundum indolem « Periodicorum de re morali canonica liturgica » in hac sectione, quae notis bibliographicis, commentariis succinctis ac dissertationibus brevibus constabit, agetur de re liturgica, de iure liturgico, de rubricis ac caeremoniis, de indulgentiis, etc. Etiamsi occasione data rubricae, caerimoniae vel indulgentiae explicabuntur, ars casuistica non erit scopus harum notitiarum. Humanissime lectores invitantur ut quaestiones proponant vel notitias subministrent.

1. EDITIONES TYPICAE LIBRORUM LITURGICORUM

a) PROEMIUM.

Normae typographis pro editione librorum liturgicorum traditae, inveniuntur praesertim in decretis S. C. R. diei 7 maii 1911 (Decr. Authent. n. 4266) ac diei 10 augusti 1946 (AAS 38 [1946] 371; EphLit 1P 61 [1947] 19-21 cum elencho aliorum decretorum et cum adnotationibus), et in C. I. C. can. 1390.

Typica vocatur editio quae excusa est cum venia S. C. R. et ab hac, singulorum editionis foliorum revisione instituta, est approbata. Quaevis typica editio approbationis referet decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones conforment. Editiones typicas excudere possunt tantum Typographia Vaticana, cui soli ceteris exclusis libros liturgicos typis excudendi ius est, vel alii qui a S. C. R. veniam obtinuerint.

Iuxta typicas vocantur editiones subsequentes quae, testante Ordinario, typicae editioni sunt conformes. Quilibet typographus, sive pontificio diplomate gaudet, sive non, toties a S. C. R. licentiam obtinere debebit, quoties hos libros edere velit. Administrationis Bonorum S. Sedis est pro publica horum librorum divulgatione singulis vicibus condiciones ferre. Concordantia cum editione

Vaticana ab Ordinario, iuxta can. 1390 C. I. C., concedenda, ne subscribatur ab ipsis nisi post diligentem atque accuratam viri in re liturgica periti revisionem.

Ad huius legislationis effectum, hi qui sequuntur *liturgici accensentur libri*: Breviarium Romanum, Missale Romanum, Rituale Romanum, Pontificale Romanum, Martyrologium Romanum, Caeremoniale Episcoporum, Memoriale Rituum, Octavarium Romanum, Collectio Decretorum S. C. R.

b) BREVIARIUM ROMANUM *ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum Summorum Pontificum cura recognitum.* EDITIO NOVA TYPICA. Typis Polyglottis Vaticanis, 1949. 4 vol. (10,5×16,5 cm.).

S. C. R. duobus decretis die 25 martii 1914 tanquam typicam approbavit ét editionem Vaticanam in unico volumine ét editionem domus Pustet in 4 voluminibus.

Anno 1949 a typographia Vaticana nova editio typica excusa est, cuius decretum approbationis sic sonat: « Approbata per Motu Proprio Ssmi D. N. Pii Papae XII 'In cotidianis precibus' diei 24 martii 1945 nova Psalmorum e primigeniis textibus versione, opportunum visum est novam quoque Breviarii Romani editionem typicam adornare, etsi nondum praeceptivus est hujus versionis usus in divini Officii recitatione. Revisione itaque rite peracta, Sacra haec Congregatio, de mandato Ssmi Domini Nostri, praesentem Breviarii Romani editionem, ab Officina Libraria Vaticana praeparatam, in quatuor partes divisam, uti typicam habendam esse decernit, cui omnes ejusdem Breviarii editiones in posterum conformandae erunt, servata tamen facultate veteri Psalmorum versione utendi. E Secretaria S. Rituum Congregationis die 21 decembris 1948 ». Decretum sic clarum est ut commentario non indigeat.

Praeter novam versionem Psalmorum Pii XII auctoritate editam editio typica 1949 substantialiter conformis est editioni typicae 1914. Operae pretium est considerare iudicium Bernardi CAPELLE O. S. B. in QuestLitPar 31 (1950) 142-143.

Adiungenda sunt huic editioni novae typicae addenda lectionibus sanctorum, qui nuper patroni pro universali Ecclesia declarati sunt, secundum decretum S. C. R. die 16 octobris 1953, AAS 46 (1954) 71-72 et EphLit 68 (1954) 56-57.

c) CAEREMONIALE EPISCOPORUM *Clementis VIII Innocentii X et Benedicti XIII jussu editum Bene-*

dicti XIV et Leonis XIII auctoritate recognitum. EDITIO TERTIA POST TYPICAM. Taurini-Romae, Marietti, (1948). XII-258 p.

Editio typica anno 1886 excusa est. Eius simplex reeditio anno 1920 in lucem prodiit sed iam diu divendita est. Quamobrem haec editio domus Marietti caeremoniariis ac prelatis multum prodest. Per se patet hanc editionem ét quoad substantiam ét quoad formam editionem typicam 1886 repetere.

Historia originis ac evolutionis Caeremonialis Episcoporum descripta est a Joaquim NABUCO, *La liturgie papale et les origines du Cérémonial des Evêques*: Miscellanea liturgica in honorem L. Cuniberti Mohlberg (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », 22). Roma, Edizioni Liturgiche, 1948. Vol. I, p. 283-300.

d) MARTYROLOGIUM ROMANUM *Gregorii Papae XIII jussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum ac deinde anno 1749 Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum.* TERTIA POST TYPICAM EDITIO juxta primam a typica editionem anno 1922 a Benedicto XV adprobatam propriis recentium sanctorum officiorumque elogiis expleta Sacrae Rituum Congregationis curis impressa. Typis Polyglottis Vaticanis, 1948. CXXIII-535 p.

Martyrologium Benedicti XIV, die 1 iulii 1748 approbatum ac anno 1749 excusum, fere immutatum pervenit ad nostra usque tempora. Editio typica a Pio X anno 1913 ordinata ea ipsa erat (sanctorum solummodo elogiis aucta qui ab anno 1748 ad annum 1913 ad supremos honores evecti sunt) quam Benedictus XIV imprimendam curaverat. At die 11 ianuarii 1922 approbata ac impressa est nova a Pascale BRUGNANI confecta *recensio,* quae prima post typicam appellata est, multis inconsulte additis vel deletis vel mutatis, ac propterea plurimis doctorum virorum censuris approbante Pio XI prosequuta; vide v. g. H. QUENTIN O. S. B., *La correction du Martyrologe Romain*: AnBoll 42 (1924) 387-406; P. CELI S. J., *La nuova edizione tipica del Martirologio Romano*: CivCatt 75 (1924) III 47-59. Secunda editio post typicam anno 1930 excusa est.

Omnia nomina geographica in Martyrologio Romano occurrentia in tabulis collegit Cyprianus COPPENS O. S. B., *Tabulae geographicae seu Atlas in Martyrologium Romanum indice alphabe-*

tico instructus. Turnholti-Belgium, Brepols, 1945. 31 p. Atlas fines regionum exhibet uti fuerunt die 1 ianuarii anni 1938.

Ad editionem critico-scientificam perficiendam optimum existit instrumentum a Bollandistis editum: *Propylaeum ad Acta Sanctorum Decembris ediderunt* Hippolytus DELEHAYE, Paulus PEETERS, Mauritius COENS, Balduinus DE GAIFFIER, Paulus GROSJEAN, Franciscus HALKIN, presbyteri Societatis Iesu. *Martyrologium Romanum ad formam editionis typicae scholiis historicis instructum.* Bruxellis, 24 Boulevard Saint-Michel, 1940. XXIII-659 p. Cfr. A. BUGNINI C. M., *Verso una riforma del Martyrologium Romanum?*: EphLit 61 (1947) 91-99.

Bis saeculari vertente anno ab editione principe Benedicti XIV et ab eius Litteris Apostolicis « De nova Martyrologii Romani editione », accedente praeterea penuria exemplarium anteactae editionis, congruum erat ut nova itidem pararetur. Haec tertia post typicam editio, die 20 maii 1948 approbata, substantialiter conformis est praecedenti anni 1930, additis tantum recentiorum sanctorum inter caelites adscriptorum ellogiis a S. C. R. confectis et a Pio XII die 27 februarii 1948 adprobatis, AAS 40 (1948) 124-130 et EphLit 62 (1948) 272-280 cum emendationibus. Quod ad recensionem huius editionis attinet, videnda sunt quae A. BUGNINI C. M. in EphLit 63 (1949) 119-120 et 333-334 ac R. VAN DOREN O. S. B. in QuestLitPar 30 (1949) 117 scripserunt; praeterea F. COMBALUZIER, (Recensio): RevHistEccl 44 (1949) 254-262; E. DE MOREAU S. J., *La nouvelle édition du Martyrologe Romain* (1948): NouvRevTheol 71 (1949) 417-418; J. RABAU, *Een nieuwe uitgave van het Martyrologium Romanum*: CollectMechlin 34 (1949) 203-207.

Post hanc editionem tertiam die 9 maii 1952 iterum decretum S. C. R. de novis ellogiis in Martyrologio Romano inserendis promulgatum est, AAS 44 (1952) 489-493 et 752 ac EphLit 66 (1952) 374-378 cum notis.

e) MEMORIALE RITUUM *pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis Benedicti XIII Pont. Max. jussu editum, Benedicti Papae XV auctoritate recognitum.* EDITIO I POST TYPICAM. Typis Polyglottis Vaticanis, 1950. 95 p.

Benedictus XIII anno 1725 ad minores ecclesias parochiales Romae Caeremoniale dioecesecos Beneventanae observandum stabi-

livit. Dein Pius VII anno 1821 ad universas id extendit ecclesias parochiales, quae ritus ibi descriptos, penuria ministrorum, sollemni forma peragi nequirent. Hoc opus iterum iterumque, privata quidem auctoritate, editum est decurrente saeculo XIX et primis duobus decenniis vertentis saeculi. Tandem anno 1920, typis domus Pustet, nova excusa est editio, quae die 14 ianuarii 1920 typica declarata est, in nonnullis emendata et praescriptionibus novi C.I.C. accommodata. Ad hanc typicam editionem exinde omnes aliae sese conformarunt.

Anno 1950 typographia vaticana Memorialis propriam paravit editionem officialem. In hac editione I post typicam, die 2 augusti 1949 approbata, emendationes quaedam inveniuntur minores, cfr. EphLit 64 (1950) 389-390.

Quoad Memorialis usum haec decreta S. R. C. observanda sunt: Decr. Authent. nn. 2616, 2915 ad 1, 2970 ad 5, 3366, 3390, 3505 ad 6, 3608 ad 1, 3697 ad 17, 3950 ad 2, 4049 ad 1. Ex his decretis hanc regulam practicam componere possumus:

1) *Benedictio solemnis Candelarum, Cinerum et Palmarum* prout in Missali describitur, est de praescripto in omnibus ecclesiis parochialibus et fieri potest in omnibus aliis ecclesiis etiam regularium et confraternitatum.

Si desit copia ministrorum ut fiat iuxta Missale, absque speciali indulto S. Sedis persolvi potest iuxta Memoriale Rituum, non solum in ecclesiis parochialibus sed etiam in aliis.

2) *Functiones Tridui Sacri* solemniter h. e. iuxta Missale peragi debent in ecclesiis parochialibus et possunt in quibusvis ecclesiis aut oratoriis in quibus solet asservari SS. Sacramentum.

Iuxta Memoriale Rituum peragi possunt absque licentia speciali in ecclesiis parochialibus, si clerus sufficiens non suppetit, et obtento indulto pontificio in ceteris ecclesiis aut oratoriis. Decori et reverentiae sacrorum Mysteriorum sit satis consultum et tres quatuorve clerici aut in eorum defectu totidem laici honesti et instructi praesto sint.

Si autem impossibile sit ut omnia decenter fiant ad normam Memorialis Rituum, per se omittendae sunt functiones, ita ut non liceat feria V et Sabbato celebrare Missam privatam absque ceteris functionibus, nisi adsint specialia indulta S. Sedis.

f) MISSALE ROMANUM *ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum Summorum Pontificum cura recognitum.* EDITIO SEXTA POST TYPICAM. Typis Polyglottis Vaticanis. LXXIV-782-272 p.

Editio in-4° (20,5×28 cm.) 1952.
Editio in-8° (18,5×25 cm.) 1953.

Editio typica die 25 iulii 1920 approbata est eodemque anno excusa. Essentialiter nihil novi in hac editione sexta post typicam, die 8 septembris 1952 approbata, invenitur. Nonnulla tantum addita ac mutata sunt. De differentiis huius editionis ab editione quinta post typicam 1939 uberius ac diligenter agit A. BUGNINI C. M. in EphLit 67 (1953) 46-61. Nonnulla desiderata concepta sunt in QuestLitPar 34 (1953) 185-186.

Editio in-8° est editio « anastatica », uti aiunt, ope machinae photographicae reducta et processu « offset » impressa; ideoque notae characteristicae editionis in-4° et in hac editione in-8° reiterantur. Unum excipe, nempe ad diem aptatio rubricarum novae disciplinae circa ieiunium eucharisticum a Const. Apost. *Christus Dominus* (die 6 ianuarii 1953) statutarum, secundum decretum S. C. R. die 3 iunii 1953, AAS 46 (1954) 68-69. Denique quatuor vel quinque impressionis defectus qui in editionem in-4° irrepserant, emendati sunt; cfr. EphLit 68 (1954) 62-63.

g) ORDO SABBATI SANCTI *quando Vigilia Paschalis instaurata peragitur.* Typis Polyglottis Vaticanis.
(EDITIO PRIMA) 1951. 39 p.
EDITIO ALTERA cum ordinationibus et rubricarum variationibus per decretum diei 11 ianuarii 1952 approbatis 1952. 44 p.

Editio prima approbata erat, pro nocturna vigiliae paschalis celebratione, facultative pro anno 1951 de locorum Ordinariorum prudenti iudicio instauranda, et ad experimentum.

Editio altera approbata erat, pro vigiliae paschalis instauratae celebratione facultativa, de locorum Ordinariorum iudicio, pro annis 1952, 1953 et 1954.

h) PONTIFICALE ROMANUM *Summorum Pontificum jussu editum a Benedicto XIV et Leone XIII Pontificibus Maximis recognitum et castigatum.*

Auctoritate Leonis XIII nova prodiit editio, quae a S. C. R. die 3 augusti 1888 typica declarata fuit.

De Ordinibus conferendis variationes in rubricis inserendae sunt, secundum decretum S. C. R. die 20 februarii 1950; cfr. AAS

42 (1950) 448-455; EphLit 64 (1950) 283-287. Vide etiam I. M. Hanssens S. J., *De manus extensione in ordinatione diaconali ritus romani*: Periodica 39 (1950) 263-271.

i) PSALTERIUM *Breviarii Romani cum excerptis e Communi Sanctorum secundum novam e textibus primigeniis interpretationem latinam Pii Papae XII auctoritate editum.* Editio typica. Typis Polyglottis Vaticanis, 1945. VIII-263-159 p.

Duo huius editionis typicae impressiones existunt. Nova impressio, quae post decem menses parari necesse fuit, priori praestat ob correctionem typographicam textus, qui in praecedenti variis mendis scatebat; correctionum elenchus praesto est in EphLit 60 (1946) 422; vide etiam EphLit 59 (1945) 368.

Quod ad novae psalmorum conversionis latinae usu in liturgia attinet, haec documenta inspicienda sunt:

1) die 24 martii 1945 Motu Proprio Pii XII *In cotidianis precibus*, de novae psalmorum conversionis latinae usu in persolvendo divino officio: AAS 37 (1945) 65-67; EphLit (IP) 58-60 (1944-46) 11-14; Collectio Decretorum n. 103; Documenta Pontificia n. 37.

2) die 26 iulii 1946 S. C. R. de breviariis cum novo psalterio: EphLit (IP) 61 (1947) 19.

3) die 22 octobris 1947 Pontificia Commissio de re biblica, responsum de usu novi psalterii latini extra horas canonicas: AAS 39 (1947) 508; EphLit 62 (1948) 110-112 cum commentario.

k) RITUALE ROMANUM *Pauli V Pontificis Maximi jussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum Ss.mi D. N. Pii Papae XII auctoritate ordinatum et auctum.* Typis Polyglottis Vaticanis.
Editio typica 1952. VII-878-81 p.
Editio prima post typicam 1954. VII-878-85 p.

De editione typica 1952 vide H. Schmidt S. J., *Editio typica 1952 Ritualis Romani*: Periodica 41 (1952) 157-182. In hac dissertatione invenitur decretum S. C. R. die 25 ianuarii 1952, indicantur differentiae cum editione typica 1925, exstat commentarius et concepta sunt desiderata.

De editione prima post typicam, die 21 novembris 1953 approbata, vide A. Bugnini C. M., *Editio prima post typicam (a. 1953) Ritualis Romani*: EphLit 68 (1954) 63-68. In hac dissertatione indicantur variationes et additiones a recentibus documentis expostulatae, quas haec editio proprio loco inseruit (per additionem suppletivam paginarum, numerorum indicatione immutata) et nonnulla ad Ritualis perfectionem adnotantur. Animadvertenda praesertim est ad diem aptatio rubricarum novae disciplinae circa ieiunium eucharisticum a Const. Apost. *Christus Dominus* (die 6 ianuarii 1953) statutarum, secundum decretum S. C. R. die 3 iunii 1953, AAS 46 (1954) 68-71. Etiam continet formulam benedictionis novi seminarii clericalis, decreto S. C. R. die 12 maii 1953 approbatam, AAS 46 (1954) 104-107.

H. S.

2. DOCUMENTA PONTIFICIA LITURGIAM SPECTANTIA

DOCUMENTA PONTIFICIA *ad instaurationem liturgicam spectantia* (1903-1953). *Collegit notisque ornavit* A. Bugnini C. M. (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae » sectio practica, 6). Roma, Edizioni Liturgiche, (1953). XI-213 p.

In commodum alumnorum scholarum theologicarum, et operariorum apostolatus liturgici, in hoc libro pretioso potiora collecta sunt documenta, quae instaurationis liturgicae peractam peragendamque viam illuminant atque Apostolicae Sedis mentem et vota aperte manifestant. Liturgia intelligitur sensu pleno; quamobrem inveniuntur in hac collectione documenta cantum ecclesiasticum et artem sacram respicientia. Attamen collectio proponere vult potius principia viva, directiva instaurationis liturgicae; et ideo omittuntur ea omnia quae ad partem technicam, ut aiunt, pertinent, vel quae iam in legislationem et praxim communem inducta sunt.

Documenta Pii X (10 numeri) constituunt fulcrum et veluti fundamentum validioris actionis liturgicae, quae « plebem sanctam Dei » ad purissimos fontes pietatis et vitae christianae, per activam participationem omnium fidelium ad sacros Ecclesiae ritus, perducit. Rariora documenta Benedicti XV (4 numeri) eandem egre-

giam secuta sunt viam, quam alacriter prosecutus est Pius XI (12 numeri). Operis culmen attingit liturgica actuositas Pii XII (31 numeri). In fine libri Index rerum alphabeticus praesto est.

H. S.

3. DECRETA SACRAE CONGREGATIONIS RITUUM

a) DECRETA AUTHENTICA *Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis SS. Domini Nostri Leonis Papae XIII*. Romae, ex typographia polyglotta S. C. de Propaganda Fide, Typis Polyglottis Vaticanis, 1898-1927. Vol. I-VII.

I. (1898) Ab anno 1588 num. 1 usque ad annum 1705 num. 2162.

II. (1898) Ab anno 1706 num. 2163 usque ad annum 1870 num. 3232.

III. (1900) Ab anno 1871 num. 3233 usque ad annum 1899 num. 4051.

IV. (1900) Commentaria ad instructionem Clementis XI pro expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum et suffragia atque adnotationes super decretis Sacr. Rituum Congregationis.

V. (1901) Index generalis rerum occurrentium in decretis Sacr. Rituum Congregationis per tria priora authenticae collectionis volumina digestis cum enunciatione suffragiorum atque adnotationum quae in quarto volumine exhibentur.

VI. Appendix I (1912) Ab anno 1900 num 4052 ad annum 1911 num. 4284 cum suo indice generali.

VII. Appendix II (1927) Ab anno 1912 num. 4285 usque ad annum 1926 num. 4404.

Hanc collectionem Leo XIII « authenticam declaravit » simul statuens « decreta hucusque evulgata in iis, quae a decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda,

exceptis tantum quae pro particularibus ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant ». Recentiora decreta, inde ab anno 1909, eduntur in periodico AAS.

b) COLLECTIO DECRETORUM *ad sacram liturgiam spectantium ab anno 1927 ad annum 1946*. Editio 2ª (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae » sectio practica, 1). Roma, Edizioni Liturgiche, 1947. 164 p.

Haec collectio, quae auctoritate privata edita est, primo in *EphLit* (IP) 53 (1939) 3-34 in lucem prodiit. Collecta in editione 2ª sunt decreta quae S. C. R. ab anno 1927 ad annum 1946 emisit; praeterea quaedam eiusdem S. C. R. rescripta aliquibus dioecesibus vel religiosis familiis concessa; insuper, in appendicis modum aliarum SS. Congregationum acta quodammodo ad liturgiam spectantia. Ordo est chronologicus. In fine adiectae sunt Index dioecesium et decretorum ac Index rerum alphabeticus.

H. S.

4. ENCHIRIDION INDULGENTIARUM

ENCHIRIDION INDULGENTIARUM. *Preces et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorumdam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita*. EDITIO ALTERA. Typis Polyglottis Vaticanis, 1952. XVI-679 p.

Editio altera, die 3 martii 1952 approbata, praecedenti 1950 fere conformis est, paucis additis nonnullisque emendatis; index additionum ac emendationum invenitur in EphLit 67 (1953) 190-191. In decreto S. Paenitentiariae Apostolicae (Officii de Indulgentiis) die 3 martii 1952, AAS 44 (1952) 235, haec verba leguntur: « hoc volumen preces complectitur ac pia opera, quae usque ad praesentem diem a Summis Pontificibus fuere indulgentiis ditata, quae adhuc vigent; tum ea videlicet, quae in favorem omnium christifidelium, tum ea etiam, quae in favorem quorumdam coetuum personarum spiritualibus hisce muneribus insignita fuerunt, obrogatis ceteris omnibus generalibus indulgentiarum concessionibus, quae in hoc enchiridion non sint relatae ». Ergo haec editio altera

exclusiva est, ita ut indulgentiae generales in ea non contentae penitus desierint. Attamen de solis indulgentiis sermo est, quae non inhaerent piis obiectis benedictis, neque pio loco determinato neque alicui piae sodalitati.

Fr. X. Hecht S. A. C. in EphLit 67 (1953) 350-354 indicem composuit precum ex S. Liturgia desumptarum, quibus indulgentiae annexae sunt, et earum locum accuratum recensuit quem in libris liturgicis occupant.

Post editionem alteram S. Paenitentiaria Apostolica (Officium de Indulgentiis) has quae sequuntur preces indulgentiis ditavit:

a) die 30 aprilis 1952, AAS 44 (1952) 389: Christifidelibus universis, qui piam recitaverint invocationem: « *Domine, doce nos orare* », indulgentias, quae sequuntur, benigne concedit: 1) *partialem trecentorum dierum,* saltem corde contrito lucrandam; 2) *plenariam,* suetis conditionibus, semel in mense acquirendam, si quotidie per integrum mensem eadem invocatio devote recitata fuerit.

b) die 30 martii 1953, AAS 45 (1953) 311: Benigne concedit quingentorum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam a fidelibus, qui marialem coronam, rite benedictam, super se devote delatam deosculati fuerint unaque simul salutationis angelicae verba « *Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum: benedicta Tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Iesus* » pia mente recitaverint.

c) die 12 maii 1953, AAS 45 (1953) 430: Oratio ad Matrem Admirabilem: « *Ave Maria, gratia plena, lux fulgida, in qua tres divinae Personae relucent. Nomen tuum, o Maria, vulneribus nostris est balsamum effusum, nobisque peccatoribus auxilium quod semper suspiramus. Dominus tecum, sicut tu, o Maria, nobiscum es, ut filios illumines, dirigas eosque consoleris qui misere peregrinantur in hac lacrymarum valle, in te oculos intendentes, o nostra propitia stella. Benedicta tu in mulieribus, quia Dominus te elegit, ut sis Mater incarnati Verbi, nunquam permittens ut labe peccati pulchritudo tua suavissima maculetur. Benedictus fructus ventris tui, Iesus, quia per te nobis datus est unicus Salvator, qui a morte nos redemit nobisque caelorum portam iterum aperit. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, qui in terris nunc pugnam sustinemus. Esto nobis semper refugium, ut in mortis benedicta hora suavem tuam faciem in splendore aeternitatis spectare valeamus. Amen* ». Benigne concedit indulgentias quae sequuntur: *partialem trecentorum dierum,* a christifidelibus saltem corde contrito acquirendam quoties supra relatam orationem devota mente recitaverint; *plenariam,* suetis conditionibus a fidelibus lucrandam, si quo-

tidie per integrum mensem eamdem recitationem pia mente persolverint.

d) die 15 ianuarii 1954, AAS 46 (1954) 73: Benigne concedit indulgentiam plenariam, a christifidelibus confessis ac sacra Synaxi refectis semel in die lucrandam, si coram SS. Altaris Sacramento, sive publice exposito sive in Tabernaculo adservato, *Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis Coronam* devote recitaverint.

H. S.

MONUMENTA

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXVI [16 maii 1954] p. 161)

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE SACRA VIRGINITATE.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sacra virginitas et perfecta illa castitas, quae divino est consecrata famulatui, in pretiosissimis procul dubio annumerantur thesauris, quos Ecclesiae Auctor ab se conditae societati quasi hereditate reliquit.

S. Patres tenent perpetuam virginitatem excelsum esse munus a Christianismo invectum.

Hoc profecto in causa fuit cur Sancti Patres asseverarent virginitatem perpetuam excelsum esse munus a christiana religione invectum. Ac iure meritoque animadvertunt antiquitatis ethnicos Vestalibus hanc morum condicionem non nisi ad certum imperavisse tempus [1]; et cum in Vetere Testamento virginitas servanda ac tuenda praecipiatur, id iuberi tantum ut praevium matrimonii postulatum [2]; ac praeterea — quod scribit Ambrosius [3] — « etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines. Sed

---

[1] Cfr. S. Ambros., *De virginibus,* lib. I, c. 4, n. 15; *De virginitate,* c. 3, n. 13; *P. L.* XVI, 193, 269.

[2] Cfr. *Ex.* XXII, 16-17; *Deut.* XXII, 23-29; *Eccli.* XLII, 9.

[3] S. Ambros., *De virginibus,* lib. I, c. 3, n. 12; *P. L.* XVI, 192.

quid dicit Apostolus? " Haec autem omnia in figura contingebant illis " [4], ut essent indicia futurorum ».

Siquidem inde ab Apostolorum aetate haec virtus in Ecclesiae viridario viget ac floresceit. Quod in *Apostolorum Actis* [5] scribitur quattuor Philippi diaconi filias fuisse virgines, id profecto potius quam iuventutem, earum significat vitae statum. Ac non multum post temporis spatium Ignatius Antiochenus virgines salutando commemorat [6], quae iam, una cum viduis, Smyrnensis christianorum communitatis haud mediocris pars erant. Secundo autem saeculo — ut S. Iustinus testatur — « multi quidem et multae, annos sexaginta et septuaginta nati, a pueris Christi disciplina imbuti, incorrupti perseverant » [7] Pedetemptim, virorum mulierumque numerus, qui suam castitatem Deo devoverant, succrevit; parique modo eorum muneris, quo in Ecclesia fungebantur, momentum haud parum invaluit, ut fusius in Nostra Constitutione Apostolica *Sponsa Christi* exposuimus [8].

Perpetua virginitas in Ecclesia inde ab Apostolorum tempore semper viguit.

Ac praeterea Sancti Patres — ut Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus aliique non pauci — de virginitate scribendo, eam summis extulerunt laudibus. Haec autem Sanctorum Patrum doctrina, ab Ecclesiae Doctoribus et a christianae asceseos Magistris decursu saeculorum aucta, multum profecto confert ad firmum in utriusque sexus christianis vel excitandum, vel iam conceptum confirmandum propositum perfecta se Deo devovendi castitate atque in ea ad mortem usque perseverandi.

---

[4] *I Cor.* X, 11.

[5] *Act.* XXI, 9.

[6] Cfr. S. IGNAT. ANTIOCH., *Ep. ad Smyrn.*, c. 13; ed. Funk-Diekamp, *Patres Apostolici*, vol. I, p. 286.

[7] S. IUSTIN., *Apol. I pro christ.*, c. 15; *P. G.* VI, 349.

[8] Cfr. Const. Apost. *Sponsa Christi; A. A. S.* XLIII, 1951, pp. 5-8.

Maior est, quam ut dinumerari possit multitudo eorum qui, ab Ecclesiae initiis ad nostra usque tempora, suam castitatem Deo obtulerunt, alii quidem illibatam suam virginitatem conservando, alii vero, coniuge defuncto, perpetuam viduitatem eidem consecrando, alii denique, suorum peccatorum paenitentes, vitam omnino castam eligendo; omnes autem eodem concordi proposito praestantes, nempe in perpetuum a carnis delectationibus propter Deum abstinendi. Quod igitur Sancti Patres de virginitatis gloria et merito praedicarunt, his omnibus invitatio, firmamentum ac robur sit, ut immobiliter in sacrificio oblato perseverent, neu quidquam vel minimum, super Dei altare positi holocausti partem tollant sibique vindicent.

Nequit dinumerari multitudo eorum qui suam castitatem Deo obtulerunt.

Dum autem in hac perfecta castitate unum ex tribus votis innititur, quibus religiosus status constat [9], atque eadem ab Ecclesiae latinae clericis in maioribus ordinibus constitutis requiritur [10] et ab Institutorum Saecularium sodalibus exigitur [11], ipsa nihilo secius etiam apud non paucos floret, qui ad laicorum ordinem omnino pertinent; viri enim et mulieres habentur, qui in statu publico perfectionis non constituuntur, et tamen a matrimonio delectationibusque carnis ex proposito vel voto privato se omnino abstinent, ut liberius proximis inserviant et ut facilius arctiusque cum Deo animum coniungant suum.

Castitas perfecta unum e tribus votis religiosis constituit; ab Ecclesia latinae clericis in maioribus exigitur; floret quoque apud non paucos laicos.

Ad hos singulos universos dilectissimos filios ac filias, qui corpus animumque suum quomodocumque Deo consecrarunt, Nos paternum convertimus animum, eosdemque ut propositum sancte susceptum confirmare diligenterque efficere velint adhortamur quam maxime.

Scopus Encyclicae.

---

[9] Cfr. *C. I. C.*, can. 487.

[10] Cfr. *C. I. C.*, can. 132 § 1.

[11] Cfr. Const. Apost. *Provida Mater*, art. III, § 2; *A. A. S.* XXXIX, 1947, p. 121.

Cum autem nonnulli hodie habeantur, qui a recto itinere hac in re declinantes matrimonium adeo extollant, ut illud reapse virginitati praeponant, ideoque Deo dicatam castitatem et ecclesiasticum coelibatum detrec tent, Nos doctrinam de excelso virginitatis munere in praesens potissimum declarare ac tueri apostolici officii conscientia postulat, ut veritatem catholicam adversus hos errores defendamus.

I

Imprimisque animadvertendum putamus id ex ipsius Divini Sponsi labiis Ecclesiam deprompsisse, quod de virginitatis doctrina praecipuum est.

Cum enim discipulis gravissima viderentur matrimonii vincula et incommoda, quae eorum Magister loquendo fecerat manifesta, cumque eidem dixissent: « Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere » [12], Iesus Christus respondit non omnes capere verbum istud, sed quibus datum esset; quosdam enim naturae defectu, alios hominum violentia et pravitate a matrimonio impediri, alios vero sponte ac propria voluntate ab eo abstinere, idque « propter regnum caelorum »; atque hisce verbis concludit: « Qui potest capere, capiat » [13].

Divinus Redemptor docet castitatem, ut perfecta sit, oportere perpetuam fore,

Hac igitur sententia divinus Magister, non de corporeis agit ad matrimonium ineundum impedimentis, sed de spirituali liberae voluntatis proposito se perpetuo a nuptiis et a corporis delectationibus abstinendi. Eos enim, qui iisdem sua sponte se fore renuntiaturos decrevere, cum eis comparando, qui vel natura, vel hominum vi ad eandem renuntiationem coguntur, nonne Divinus Redemptor illud nos docet, castitatem nempe, ut perfecta reapse sit, oportere perpetuam fore?

---

12 MATTH. XIX, 10.

13 *Ibid.*, XIX, 11-12.

Huc accedit — quod Sancti Patres Ecclesiaeque Doctores praeclare docuere — virginitatem non esse christianam virtutem, nisi eam « propter regnum caelorum » [14] amplectamur; hoc est, nisi eiusmodi vitae institutum idcirco suscipiamus, quo facilius divinis rebus vacare possimus, quo tutius aeternam aliquando assequamur beatitatem, quo expeditius denique ceteros etiam ad caelorum regnum, sollerti data opera, conducere possimus.

Sponte susceptam «propter regnum coelorum».

Non ii igitur christianorum christianarumve virginum honorem sibi vindicare queunt, qui vel ob nimium sui ipsorum studium matrimonio abstineant, vel ea de causa ut ab eius oneribus refugiant, uti Augustinus admonet [15], vel etiam ut, phariseorum more, suorum corporum integritatem superbe ostentent, quod quidem Gangrense iam Concilium improbat, ne virgo vel continens a matrimonio tamquam abominando recedat et non propter ipsam virginitatis pulchristudinem et sanctitatem [16].

Praecipua virginitatis ratio Deo corpus ac spiritum omnino consecrare;

Ac praeterea gentium Apostolus, caelesti instinctu afflatus, haec animadvertit: « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo ... Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu » [17]. Hoc igitur primarium propositum est, haec praecipua christianae virginitatis ratio: ad divina nempe unice contendere ac mentem animumque convertere; Deo in omnibus placere velle; eum impense recogitare; eidemque corpus ac spiritum omnino consecrare.

Hoc modo Iesu Christi sententiam et Apostoli gentium doctrinam Sancti Patres nullo non tempore interpretati sunt: etenim inde a prisca Ecclesiae aetate virginitatem reputarunt corporis animique consecrationem

---

14 *Ibid.*, XIX, 12.

15 S. Augustin., *De sancta virginitate*, c. 22; *P. L.* XL, 407.

16 Cfr. can. 9; Mansi, *Coll. concil.*, II, 1096.

17 *I Cor.* VII, 32, 34.

Deo delatam. Itaque S. Cyprianus a virginibus requirit « ut quae se Christo dicaverint, a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint..., nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant » [18]. Ulterius autem procedens Hipponensis Episcopus haec asseverat: « Neque et ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur.... Nec nos hoc in virginibus praedicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatae pia continentia virgines » [19]. Sacrae vero theologiae principes, S. Thomas Aquinas [20] ac S. Bonaventura [21], Augustini auctoritate innixi, virginitatem edocent virtutis firmitate non pollere, nisi a suscepto voto oriatur eam illibatam perpetuo servandi. Et sane Christi sententiam de perpetua abstinentia a matrimonio ii maxime perfectissimeque ad effectum deducunt, qui voto perpetuo eam servandi se obligant; neque iure asseverari potest eorum propositum, qui sibi quandam ab eo resiliendi apertam viam reservare velint, melius esse atque perfectius.

Sancti Patres hoc pacto interpretati sunt Iesu Christi et Apostoli verba.

Quod quidem perfectae castitatis vinculum Sancti Patres habuerunt veluti quoddam spiritualis matrimonii genus, quo animus cum Christo coniungitur; ideoque eo usque nonnulli processere, ut datam fidem, si hac in re violaretur, cum adulterio compararent [22]. Itaque S. Athanasius scribit Catholicam Ecclesiam solitam esse eas appellare sponsas Christi, quae virginitatis virtute polleant [23]. Et S. Ambrosius, presse de sacra virgine scribendo, haec habet: « Virgo est, quae Deo nubit » [24]. Im-

Iidem sacram virginitatem habuerunt tamquam quoddam matrimonii spiritualis genus.

---

18 S. Cypr., *De habitu virginum*, 4; *P. L.* IV, 443.

19 S. Augustin., *De sancta virginitate*, cc. 8, 11; *P. L.* XL, 400, 401.

20 S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 152, a. 3, ad 4.

21 S. Bonav., *De perfectione evangelica*, q. 3, a. 3, sol. 5.

22 Cfr. S. Cypr., *De habitu virginum*, c. 20; *P. L.* IV, 459.

23 Cfr. S. Athanas., *Apol. ad Constant.*, 33; *P. G.* XXV, 640.

24 S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 8; n. 52; *P. L.* XVI, 202.

mo, ut ex eiusdem Mediolanensis Doctoris scriptis patet [25], iam a quarto saeculo consecrationis virginum ritus, valde illi similis erat, quo Ecclesia in matrimonii benedictione nostris hisce temporibus utitur [26].

Eadem de causa Sancti Patres virgines adhortantur ut suum ipsarum divinum Sponsum vehementius adament, quam eum diligerent, cum quo fuissent matrimonio coniunctae; eiusque voluntati nullo non tempore cogitando agendoque obtemperent [27]. Haec siquidem iisdem Augustinus scribit: « Toto corde amate speciosum forma prae filiis hominum: vacat vobis, liberum est cor a coniugalibus vinculis. ... Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis, eum propter quem coniuges habere noluistis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde qui pro vobis est fixus in cruce » [28]. Quod ceteroquin iis sensibus propositisque respondet, quae Ecclesia ipsa a virginibus eo die postulat, quo Deo rite consecrantur, eas invitans ut haec verba proferant: « Regnum mundi et omne ornamentum saeculi contempsi propter amorem Domini Nostri Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi » [29]. Nihil aliud igitur est, quod virginem suaviter compellit ad corpus animumque suum Divino Redemptori omnino consecrandum, nisi ipsius amor, quemadmodum S. Methodius, Olympi Episcopus, pulcherrima haec verba eam loquentem inducit: « Omnia ipse tu, Christe, mihi es. Tibi me servo castam et, splendentem

Idcirco virgines Sponsum adamare debent vehementius quam uxores coniugem.

---

[25] Cfr. *Ibid.*, lib. III, c. 1-3, nn. 1-14; *De institutione virginis*, c. 17, nn. 104-114; *P. L.* XVI, 219-224, 333-336.

[26] Cfr. *Sacramentarium Leonianum*, XXX; *P. L.* LV, 129; *Pontificale Romanum*: De benedictione et consecratione virginum.

[27] Cfr. S. Cypr., *De habitu virginum*, 4 et 22; *P. L.* IV, 443-444 et 462; S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 7, n. 37; *P. L.* XVI, 199.

[28] S. Augustin., *De sancta virginitate*, cc. 54-55; *P. L.* XL, 428.

[29] *Pontificale Romanum*: De benedictione et consecratione virginum.

tenens lampadem, tibi, Sponse, occurro » [30]. Christi amor utique est, qui virgini suadet ut intra monasterii saepta confugiat, ibique perpetuo maneat, ad expeditius ac facilius caelestem Sponsum contemplandum et diligendum; et qui eam impense excitat ad misericordiarum opera proximorum causa ad mortem usque viribus omnibus suscipienda.

De iis vero viris, « qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt » [31], Apostolus Ioannes asseverat: « Hi sequuntur Agnum quocumque ierit » [32]. Quod igitur iis omnibus adhortamentum S. Augustinus impertit, meditemur: « Sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo ... Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis quocumque ierit. Quid est enim sequi nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum, sicut ait Apostolus Petrus, " ut sequamur vestigia eius " » [33]. Siquidem hi omnes discipuli sponsaeque Christi virginitatis institutum amplexi sunt, ut ait S. Bonaventura, « propter conformitatem ad Christum sponsum, ad quem virgines conformes facit » [34]. Eorum enim incensae erga Christum caritati haud satis esse poterat animi vinculis una cum eo coniungi, sed necesse omnino erat ut haec eadem caritas eius virtutum imitatione comprobaretur, peculiarique modo eius conformitate vitae, quae omnis fuit in bonum, in salutemque humani generis acta. Si sacerdotes, si religiosi viri mulieresque, si ii denique omnes, qui quavis ratione divino se devoverunt famulatui, perfectam castitatem colunt, idcirco hoc profecto evenit, quod Divinus eorum Magister virgo

Virgines Christum imitantes « sequuntur Agnum ».

---

30 S. Methodius Olympi, *Convivium decem virginum*, orat. XI, c. 2; *P. G.* XVIII, 209.

31 *Apoc.* XIV, 4.

32 *Ibid.*

33 *I Petr.* II, 21; S. Augustin., *De sancta virginitate*, c. 27; *P. L.* XL, 411.

34 S. Bonav., *De perfectione evangelica*, q. 3, a. 3.

fuit ad suae usque vitae obitum. Ita exclamat S. Fulgentius: « Hic est autem Unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam Virginis filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctae virginitatis fructus, decus et munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritualiter sancta virginitas nubit, a quo sancta virginitas fecundatur ut perseveret intacta, a quo decoratur ut permaneat pulchra, a quo coronatur tu regnet perenniter gloriosa » [35].

Vitam virginalem ut quamdam liberationem amplectuntur qua plenius ad Dei gloriam conferre possint.

Heic autem opportunum ducimus, Venerabiles Fratres, enucleare magis ac declarare diligentius qua de causa Christi amor generosos commoveat animos ad matrimonio abstinendum; et quae arcana intercedant vincula virginitatem inter et christianae caritatis perfectionem. Iam ex ea, quam supra rettulimus, Iesu Christi sententia innuitur perfectam eiusmodi a matrimonio abstinentiam homines exonerare gravibus eius muneribus atque officiis. Divino autem afflante Spiritu gentium Apostolus liberationis huius causam hisce verbis proponit: « Volo autem vos sine sollicitudine esse... Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae mundi sunt, quomodo placeat uxori, et divisus est » [36]. Quam ad rem tamen animadvertendum est Apostolum non idcirco improbare viros quod de suis uxoribus solliciti sint, neque uxores reprehendere quod suis coniugibus placere enitantur; sed asseverare potius eorum animos divisos esse inter coniugis amorem et Dei dilectionem, atque acribus distringi curis, quibus ob initi connubii officia haud facile possint divinarum rerum meditationi vacare. Siquidem coniugii officium, quo tenentur, clare imperat: « Erunt duo in carne una » [37]. Namque coniuges, cum in tristibus, tum in laetis rerum adiunctis, mutuis vinculis colligantur [38]. Facile igitur intel-

---

35 S. Fulgent., *Epist.* 3, c. 4, n. 6; *P. L.* LXV, 326.

36 *I Cor.* VII, 32-33.

37 *Gen.* II, 24; Cfr. Matth. XIX, 5.

38 Cfr. *I Cor.*, VII, 39.

legitur cur ii, qui se divino famulatui mancipare cupiant, virginalis vitae institutum veluti quandam liberationem amplectantur, hoc est ut plenius queant Deo servire et ad proximorum viribus omnibus conferre bonum. Quomodo enim poterat — ut exempla proponamus — mirabilis ille evangelicae veritatis praeco, S. Franciscus Xaverius, quomodo poterat misericors ille pater pauperum, S. Vincentius a Paulo, studiosissimusque ille iuventutis educator, S. Ioannes Bosco, ac indefessa illa « mater emigrantium », S. Francisca Xaveria Cabrini, ingentia exantlare incommoda laboresque, si suae cuiusque subolis suique coniugis debuissent corporis animique necessitatibus consulere?

Aliud praeterea in causa est, cur ii omnes, qui se Deo proximorumque saluti omnino devovere percupiant, virginitatis institutum amplectantur. Illud siquidem est, quod Sancti Patres asseverarunt, de utilitatibus edisserentes, quas ii assequi possunt, qui idcirco eiusmodi corporis delectationibus omnino abstinent, ut aptius spiritualis vitae elationibus delectentur. Procul dubio — quod ipsi quoque palam animadverterunt — huius generis voluptas, quae ex matrimonio legitime oritur, haud improbanda in se est; quin immo castum connubium peculiari sacramento nobilitatur ac consecratur. Verumtamen est pari modo concedendum inferiores humanae naturae facultates, post miserum Adae casum, rectae rationi obsistere atque interdum etiam ad inhonesta facienda hominem compellere. Ut enim scribit Doctor Angelicus, usus matrimonii « retrahit animum ne totaliter feratur in Dei servitium » [39].

Ut aptius spiritualis vitae elationibus delectentur.

Quam quidem spiritualem corporis animique libertatem ut sacrorum administri adipiscantur, utque terrenis negotiis ne implicentur, Latina Ecclesia ab iisdem postulat ut volentes libentesque perfectae castitatis obliga-

---

[39] S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 186, a. 4.

Latina Ecclesia a sacrorum administris postulat ut libenter perfectae castitatis obligationi pareant ne terrenis negotiis implicentur.

tioni pareant [40]. « Quodsi eiusmodi lex — ut a Decessore Nostro imm. mem. Pio XI assertum est — Orientalis Ecclesiae administros non omnino tenet, iisdem tamen etiam ecclesiasticus coelibatus honori ducitur; atque interdum — cum praesertim de summis agitur hierarchiae gradibus — necessario requiritur atque praecipitur » [41].

Considerandum praeterea est sacrorum administros, non idcirco solummodo quod apostolico munere funguntur, sed idcirco etiam quod altari inserviunt, matrimonio omnino abstinere. Etenim, si iam Veteris Testamenti sacerdotes, dum templi servitio fungebantur, ab usu matrimonii abstinebant, ne a Lege, sicut et ceteri homines, immundi declararentur [42], quanto magis opportunum est Iesu Christi administros, qui cotidie Eucharisticum offerunt Sacrificium, perpetua castitate pollere? Ad perfectam hanc sacerdotum continentiam quod attinet, S. Petrus Damiani haec interrogando admonet: « Si igitur Redemptor Noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur, et hoc, cum adhuc parvulus vagiret in cunis, a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum cum iam immensus regnat in caelis? » [43].

Ii a matrimonio omnino abstinent quod altari inserviunt.

Hac de causa imprimis asseverandum est — quod luculenter Ecclesia docet — sanctam virginitatem excellentia sua matrimonio praestare. Id iam Divinus Redemptor utpote perfectioris vitae consilium disciplis suaserat [44]: ac Paulus Apostolus, postquam de patre, qui

---

40 Cfr. *C. I. C.*, can. 132, § 1.

41 Cfr. Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii fastigium*, *A. A. S.* XXVIII, 1936, pp. 24-25.

42 Cfr. *Lev.* XV, 16-17; XXII, 4; *I Sam.* XXI, 5-7; cfr. S. Siric. Papa, *Ep. ad Himer.* 7; *P. L.* LVI, 558-559.

43 S. Petrus Dam., *De coelibatu sacerdotum*, c. 3; *P. L.* CXLV, 584.

44 Cfr. Matth. XIX, 10-11.

filiam suam matrimonio iungit, dixit: « Bene facit », haec continuo adicit: « Et qui non iungit, melius facit » [45]. Qui quidem Apostolus nuptias cum virginitate comparando, sententiam suam non semel, at praesertim verbis hisce aperit: « Volo enim omnes vos esse sicut meipsum ... Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego » [46]. Si igitur virginitas, ut scripsimus, matrimonio praestat, id potissimum procul dubio ex eo evenit, quod ad excellentiorem assequendum finem spectat [47]; ac praeterea quod etiam efficacitate summa confert ad sese omnino divino servitio mancipandum; dum contra illius animus, qui coniugii vinculis negotiisque implicatur, plus minusve « divisus » [48] est.

Praestantia virginitatis super matrimonium ex Apostoli verbis.

Quodsi fructuum copiam consideramus, qui ex ea oriuntur, tum procul dubio eius excellentia maiore in luce ponitur: « siquidem ex fructu arbor agnoscitur » [49].

Eius excellentia maiore in luce ponitur ingentibus ex ea fructibus.

Cum ad innumerabilem illam virginum apostolorumque phalangem mentem convertimus, qui a prima Ecclesiae aetate ad nostra usque tempora nuptiis abstinuere, ut facilius pleniusque in proximorum salutem amore Christi incumberent, atque ita miranda prorsus religionis caritatisque incepta provexere, tum facere non possumus quin summa suavissimaque afficiamur laetitia. Nam, etsi nolumus, ut aequum est, aliquid ex eorum meritis, ex eorumque apostolatus fructibus detrahere, qui in Actionis Catholicae agminibus militantes, eos etiam salutari navitate sua attingere possunt, quos haud raro nequeunt sacerdotes et religiosi viri mulieresque; nihilominus postremis hisce maiore ex parte novimus eiusmodi caritatis opera procul dubio esse tribuenda. Hi enim hominum vitam, quavis aetate et quavis rerum condicione, gene-

Virginitas fecunda innumeris inceptis et operibus quibus se devovet.

45 *I Cor.*, VII, 38.
46 *Ibid.*, VII, 7-8; cfr. 1 et 26.
47 Cfr. S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 152, aa. 3-4.
48 Cfr. *I Cor.*, VII, 33.
49 Matth. XII, 33.

roso animo comitantur ac regunt; et quotiescumque fatigati vel infirmi decidunt, sacrum eiusmodi munus aliis persequendum quasi hereditate committunt. Itaque haud raro fit ut, vixdum natus, infans virginalibus excipiatur manibus, eique nihil desit, quod deinde ipsa mater impensiore amore impertire possit; item, grandiculus factus ac ratiocinationis compos, illis educandus concreditur qui eius mentem christianae doctrinae praeceptis instruant, eius animum opportunis disciplinis excolant, eiusque ingenium et indolem recte conforment; si quis aegritudine laborat vel implicatur morbis, ei praesto sunt qui, caritate Christi compulsi, eius valetudinem sollicitis curis consentaneisque remediis confirmare enituntur; si parentibus orbatur, si rerum angustiis animique miseriis exagitatur, si in vincula coniectus est, non destituitur solaciis auxiliisque, sed sacrorum administri, religiosi viri, sacraeque virgines eum veluti aegrotans mystici Iesu Christi corporis membrum miserabundi respicientes, haec Divini ipsius Redemptoris verba in memoriam revocabunt: « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me ... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » [50]. Quid vero dilaudando dicamus de divini verbi praeconibus, qui longe a patria sua infidelium multitudines, gravissimos exantlando labores, ad christianam fidem convertunt? quid de sacris Christi sponsis, quae eis adiutricem navant operam pretiosissimam? Eis singulis universis haec verba, quae in Apostolica Adhortatione *Menti Nostrae* scripsimus, libenter tribuenda repetimus: « ... Coelibatus lege, potius quam paterni muneris officium omnino amittat Sacerdos, in immensum revera adauget.

Virginum caritas.

---

[50] Matth. XXV, 35-36, 40.

quandoquidem non terrenae huic ac caducae vitae subolem parit, sed caelesti perpetuoque mansurae »[51].

Virginitas praeterea non ob externa solummodo incepta et opera, quibus ii facilius ac plenius se devovere possunt, quicumque eam amplectuntur, fecunda est, sed ob perfectae etiam erga proximos caritatis formas, hoc est ob adhibitas eorum causa incensas supplicationes, et ob gravia incommoda haec eadem de causa sponte libenterque tolerata; quibus quidem Dei famuli ac Iesu Christi sponsae — ii praesertim atque illae, qui intra coenobii saepta aetatem traducunt — totam suam consecrarunt vitam.

Virginitas fecunda ob perfectae etiam erga proximos caritatis formas.

Ac denique ipsa Christo consecrata virginitas talem per se testatur fidem ad caelorum regnum quod attinet, talem praebet erga Divinum Redemptorem amorem, ut haud mirum sit eam uberes edere sanctitatis fructus. Virgines siquidem iique omnes, qui apostolatui se dedunt, perfectaeque se devovent castitati, excelsa suae vitae sanctimonia Ecclesiam decorant paene innumeri. Virginitas enim eiusmodi spiritualem vim in animos inserit, quae ad martyrium etiam, si opus sit, compellere queat; idque luculentissime historia docet, quae tot virginum agmina omnium admirationi proponit, ab Agnete Romana ad Mariam Goretti.

Fecunda quoque ob uberrimos sanctitatis fructus quos edit.

Nec sine causa virginitas virtus angelica dicitur; quod quidem S. Cyprianus virginibus scribens iure meritoque asseverat: « Quod futuri sumus, iam vos esse coepistis. Vos resurrectionis gloriam in isto saeculo iam tenetis, per saeculum sine saeculi contagione transitis. Cum castae perseveratis et virgines, Angelis Dei estis aequales »[52]. Animo purissimae vitae sitienti ac desiderio flagranti assequendi regni caelorum, virginitas praebetur

Virginitas non sine causa virtus angelica nuncupatur,

---

[51] *A. A. S.* XLII, 1950, p. 663.

[52] S. Cypr., *De habitu virginum*, 22; *P. L.* IV, 462; cfr. S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 8, n. 52; *P. L.* XVI, 202.

« sicut pretiosa margarita », propter quam aliquis « vendidit omnia quae habuit et emit eam » [53]. Ii vero qui matrimonio iuncti sunt ac vel ipsi, qui in vitiorum caeno pervolutantur, cum virgines suspiciunt, candidae earum puritatis splendorem haud raro admirantur seseque permoveri sentiunt ad aliquid assequendum quod sensuum delectationes exsuperet. Quod Aquinas asseverat, haec scribens: « virginitati ... attribuitur excellentissima pulchritudo » [54], id procul dubio in causa est cur virgines suo exemplo omnes alliciant. Ac praeterea hi omnes viri ac mulieres, per suam perfectam castitatem, nonne patefaciunt quam maxime, hoc animi imperium in corporis motus esse divini auxilii effectum atque validae virtutis signum?

Perfectam Ecclesiae matris virginitatem manifestat.

Hoc autem peculiari modo considerare placet, quod suavissimus est virginitatis fructus: sacras nempe virgines manifestam ac quasi ante oculos ponere perfectam ipsius Ecclesiae matris virginitatem, suaeque ipsarum cum Christo arctissimae coniunctionis sanctitudinem. Quibus verbis Pontifex utitur sacrandarum virginum ritus peragens ac Deum suppliciter adprecans, ea sapientissime hac praesertim de causa scripta fuere: « ut exsisterent sublimiores animae, quae in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis praenotatur » [55].

Quod virgines imagines viventes sunt perfectae illius integritatis, qua Ecclesia cum Divino suo Sponso coniungitur, id procul dubio summae iisdem gloriae vertitur; quod vero eaedem mirabile signum praebent florentis sanctitatis spiritualisque illius fecunditatis, qua societas

---

[53] Matth. XIII, 46.

[54] S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 152, a. 5.

[55] *Pontificale Romanum*: De benedictione et consecratione virginum.

praestat a Iesu Christo condita, id profecto huic eidem societati gaudium affert tam vehemens, quam quod maxime. Hac de re optime Cyprianus scribit: « Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ilias atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit » [56].

Virgines viventes imagines sunt perfectae integritatis unionis Christi cum Ecclesia.

II

Haec doctrina, qua statuitur virginitatem et coelibatum omnino excellere ac matrimonio praestare, iam a Divino Redemptore et a gentium Apostolo, ut diximus, patefacta fuit; itemque in sacrosancta Tridentina synodo [57] sollemniter fuit ut divinae fidei dogma definita, et a Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus concordi semper sententia declarata. Praeterea ut Decessores Nostri, ita Nosmet ipsi, quotiescumque occasio data est, eam etiam atque etiam explanavimus ac valde commendavimus. Verumtamen, cum recens non defuerint qui hanc eandem doctrinam a maioribus Ecclesiae traditam impugnarent non sine gravi christifidelium periculo ac detrimento, Nos pro officii Nostri conscientia opportunum duximus rem iterum per Encyclicas has Litteras resumere, et eiusmodi errores, qui saepenumero sub fucata veri specie proponuntur, detegere ac reprobare.

Doctrina de excellentia virginitatis prae matrimonio, dogma est fidei divinae

Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum conside-

---

56 S. Cypr., *De habitu virginum*, 3; *P. L.* IV, 443.

57 Sess. XXIV, can. 10.

Errant qui naturalem sexus instinctum quasi potiorem et incoercibilem considerant.

rant quasi potiorem maioremque humanae compagis propensionem et exinde concludunt hominem non posse per totius vitae cursum huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo eius corporis vitalia potissimumque nervos perturbandi, ideoque humanae personae aequilibritati detrimentum inferendi.

Eius stimulos, homo rationis impulsu, subicere potest.

Ut autem S. Thomas iure meritoque animadvertit, quae nostro in animo altius insidet propensio, reapse ad sui ipsius conservationem spectat, inclinatio vero, quae e sexus facultatibus oritur, secundum obtinet locum. Ac praeterea ad humanae rationis impulsum ac regimen pertinet, quae singulare est naturae nostrae privilegium, intimos huius generis moderari stimulos atque instinctus, eosdemque recto dominio suo efficere nobiliores [58].

Iesu Christi gratia nobis impertitur ut spiritu viventes corpus in servitutem redigamus.

Utique, proh dolor, post primum Adae peccatum, perturbatae corporis facultates cupidinesque non solum in sensus, sed in animos etiam dominari contendunt, tenebras offundendo mentibus ac debilitando voluntates. At Iesu Christi gratia idcirco nobis per sacramenta potissimum impertitur, ut spiritu viventes corpus in servitutem redigamus [59]. Castitatis virtus non a nobis postulat ut concupiscentiae stimulum ne sentiamus, sed ut rectae potius subiciamus rationi et legi gratiae ad id pro viribus contendendo, quod in humana christianaque vita nobilius est.

Necessitas abstinendi ab actibus et desserendi omnia quae castitati adversentur.

Ad hoc autem animi imperium in corporis sensus perfecte acquirendum, non satis est ab actibus solummodo, qui directe castitati sint contrarii, sese abstinere, sed omnino necesse est libenter generoseque a omnia deserere, quae huius virtutis actibus plus minusve remote adversentur: tunc enim animus in corpore plene regnat et spiritualem suam vitam pace ac libertate exercere potest. Quis igitur, inter eos qui catholicae religionis principiis

---

[58] Cfr. S. Thom., *Summa Th.*, I-II, q. 94, a. 2.

[59] Cfr. *Gal.* V, 25; *I Cor.* IX, 27.

innituntur, non videat perfectam castitatem virginitatemque, nedum naturali virorum ac mulierum incremento naturalique progressioni officiat, id augere ac nobilitare quam maxime?

Recentius autem eorum sententiam maerenti animo reprobavimus, qui eo usque procedunt ut coniugium asseverent unum esse, quod naturale personae humanae incrementum debitamque perfectionem tueri possit [60]. Nonnulli enim affirmant divinam gratiam, a matrimonii sacramento *ex opere operato* impertitam, ita coniugii usum sanctum reddere, ut instrumentum evadat ad singulos animos cum Deo coniungendos efficacius quam virginitas ipsa, quandoquidem matrimonium christianum, non autem virginitas, sacramentum est. Quam quidem doctrinam utpote falsam ac detrimentosam denuntiamus. Utique enim hoc sacramentum divinam sponsis impertit gratiam ad coniugalem officium sancte obeundum; utique mutui amoris nexus confirmat, quibus iidem una invicem continentur; verumtamen non ad id institutum est ut coniugii usum veluti instrumentum reddat per se magis aptum ad sponsorum animos caritatis vinculo cum Deo ipso coniungendos [61]. Nonne potius Apostolus Paulus coniugibus ius agnoscit a matrimonii usu se abstinendi ad tempus, ut vacent orationi [62], idcirco quia eiusmodi abstinentia liberiorem reddit animum, qui velit caelestibus rebus Deique supplicationibus se dedere?

Errant etiam asseverantes matrimonium unum esse quod humanam naturam complet et perficit.

Matrimonium non est institutum ut coniugii usum faciat instrumentum ad sponsorum animos coniungendos cum Deo efficacius quam virginitas.

Denique asseverari non potest — ut quidam faciunt — « mutuum adiutorium » [63], quod sponsi in christianis nuptiis quaerunt, opem esse perfectiorem quam *so-*

---

60 Cfr. Allocutio ad Moderatrices supremas Ordinum et Institutorum Religiosarum, d. 15 septembris 1952; *A. A. S.* XLIV, 1952, p. 824.

61 Cfr. Decretum S. Officii, *De matrimonii finibus*, d. 1 aprilis 1944; *A. A. S.* XXXVI, 1944, p. 103.

62 Cfr. *I Cor.* VII, 5.

63 Cfr. *C. I. C.*, can. 1013 § 1.

litudinem, ut aiunt, *cordis* virginum et coelibum, ad propriam sanctitatem assequendam. Nam, quamquam ii omnes, qui perfectae castitatis institutum amplexi sunt, humano huiusmodi amore se abdicaverunt, nihilo secius hac de causa affirmari non potest eos ob hanc eandem privationem suam reddidisse humanam personam quasi imminutam ac despoliatam. Ii enim a caelestium ipso munerum Datore spirituale aliquid accipiunt, quod quidem illud in immensum exsuperat « mutuum adiutorium », a coniugibus sibi invicem impertitum. Cum siquidem ei omnino se devoveant, qui suum principium est, quique divinam cum ipsis participat vitam, semet ipsos non minuunt, sed quam maxime adaugent. Quisnam enim verius potest, quam virgines, mirabilem illam Pauli Apostoli sententiam sibi tribuere: « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus »? [64].

Asseverari non potest « mutuum adiutorium» matrimonii spem esse perfectiorem quam *solitudinem cordis* virginum aut caelibum.

Hac de causa Ecclesia sapientissime ducit sacerdotum coelibatum tuendum esse; novit enim illum esse ac fore spiritualium gratiarum fontem, quibus iidem arctius usque cum Deo coniungantur.

Opportunum praeterea putamus breviter heic aliquid de eorum errore attingere, qui quidem ut iuvenes a sacris Seminariis, puellas vero a religiosis Institutis avertant, eorum mentibus inculcare enitantur Ecclesiam hodie illorum auxilio illorumque christianae virtutis professione magis indigere, qui matrimonio coniuncti communem cum ceteris in saeculo vitam traducant, quam sacerdotum sacrarumque virginum, qui ob nuncupatum castitatis votum quasi ab humana societate abstrahantur. Quod quidem commentum, Venerabiles Fratres, falsum omnino esse ac perniciosissimum nemo est qui non videat.

Equidem mens Nobis haud est infitiari catholicos coniuges, ob eorum christianae vitae exempla, in quibusvis locis commorentur et in quibusvis versentur rerum

---

[64] *Gal.* II, 20.

adiunctis, uberes posse eorum virtutis testimonio salutaresque edere fructus. Verumtamen qui hac de causa suadet magis optandum esse in matrimonio vivere, quam se Deo omnino consecrare, is rectum rerum ordinem procul dubio invertit ac miscet. Vehementer utique cupimus, Venerabiles Fratres, ut qui iam confecerint nuptias, vel in matrimonium ire exoptent; opportune edoceantur se gravi teneri officio non modo quam habeant aut habituri sint subolem recte diligenterque educandi, sed etiam suae fidei testimonio virtutisque exemplo ceteros pro facultate iuvandi. Attamen qui adulescentes ab ingrediendo Seminario vel a Religiosis Ordinibus ac Sodalitatibus a sacrisque nuncupandis votis avertere contendant, iisdem suadendo se posse, si matrimonio coniungantur, utpote patres matresve familias, christianae suae vitae professione omnibus aperta ac publica, maius assequi spirituale bonum, eos quidem omnes, ut officii Nostri conscientia postulat, facere non possumus quin omnino reprobemus. Aptius profecto rectiusque ii egerint, si innumeros eos, qui in coniugio vivunt, quam studiosissime possint, adhortentur ad apostolatus opera in laicorum ordine adiutrice navitate sua provehenda, quam si eos iuvenes, hodie non multos, proh dolor, qui se divino famulatui dedere cupiunt, a virginitate abstrahere contenderint. Quam ad rem opportune scribit Ambrosius: « Semper spectavit ad gratiam sacerdotum iacere semina integritatis, et virginitatis studia provocare » [65].

Aberrant quoque qui autumant *hodie* magis optandum esse in matrimonio vivere quam se Deo omnino consecrare.

Reprobantur qui adulescentes a Seminario vel a Religione avertere contendunt iisdem suadentes se posse maius spirituale bonum consequi si matrimonio coniungantur.

Ac praeterea monendum putamus, omnino falsum esse asseverare, qui se perfectae castitati devoverint, eos ab hominum communitate quasi extraneos abesse. Sacrae enim virgines, quae vitam suam pauperum infirmorumque servitio dedunt, nullo habito stirpis, socialis ordinis, religionisve discrimine, nonne eorum miseriis eorumque doloribus intime coniunguntur, iisdemque suavissime af-

---

[65] S. Ambros., *De virginitate*, c. 5, n. 26; *P. L.* XVI, 272.

ficiuntur, ac si reapse essent eorum matres? Itemque sacerdos nonne exemplo divini Magistri sui permotus, boni pastoris munere fungitur, qui oves suas cognoscit ac nominatim vocat?[66] Iamvero ex perfecta, quam colunt, castitate hi sacerdotes ac religiosi viri religiosaeque mulieres habent, cur sese omnibus addicant, omnesque adament amore Christi. Atque ii etiam, qui vitam contemplativam ducunt, idcirco quod non modo suas preces supplicationesque, sed suam ipsorum quoque immolationem Deo offerunt pro ceterorum salute, multum profecto conferunt ad Ecclesiae bonum; quin immo, cum in praesentibus rerum adiunctis apostolatus et caritatis operibus se dedant ad normas, quas per Apostolicas Litteras *Sponsa Christi*[67] impertivimus, hac etiam ratione maxime probandi sunt; neque ab hominum consortione alieni dici queunt cum potius ad spiritualem eorum profectum duplici hac de causa adlaborent.

Falsum omnino est eos qui perfectae castitati se devoverunt a b hominum commercio quasi extraneos abesse.

III

Iam ad ea deveniamus, Venerabiles Fratres, quae ex hac Ecclesiae doctrina de virginitatis excellentia, in vitae usum deduci queant.

Hoc imprimis aperte declarandum est: idcirco quod virginitas aliquid perfectius est quam coniugium existimanda, non inde consequi eam esse necessariam ad christianam perfectionem attingendam. Vitae sanctimonia, etiam sine castitate Deo dicata, reapse haberi potest; quod quidem frequentes testantur sancti viri sanctaeque mulieres, qui ab Ecclesia publico honorantur cultu, quique fideles fuerunt coniuges excellentesque patres matresve familias in exemplum enituere; immo haud rarum est

Vitae sanctimonia potest tamen etiam sine castitate Deo dicata obtineri

---

[66] Cfr. Io. X, 14; X, 3.

[67] Cfr. *A. A. S.*, XLIII, 1951, p. 20.

coniuges etiam agnoscere, qui ad christianam perfectionem studiosissime contendant.

Animadvertendum praeterea est Deum non christianos omnes ad virginitatem iubendo compellere, quemadmodum hisce verbis Paulus docet Apostolus: « De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do » [68]. Ad perfectam igitur castitatem amplectendam consilio tantum movemur, utpote quae eos, « quibus datum est » [69], tutius atque expeditius ad evangelicam perfectionem, ad quam aspirent, et ad regnum caelorum assequendum conducere queat; quamobrem ea, ut recte animadvertit Ambrosius, « non imponitur, sed proponitur » [70].

Deus non christianos omnes ad virginitatem iubendo compellit.

Hac de causa perfecta castitas hinc liberam a christianis optionem postulat antequam fidem se omnino Deo offerant ac dedant, illinc vero a Deo ipso supernum munus postulat supernamque gratiam [71]. Iam Divinus ipse Redemptor hac de re hisce verbis nos admonuit: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere, capiat » [72]. Quam sacram Iesu Christi sententiam Hieronymus intento reputans animo, omnes adhortatur « ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiae implere praecepta. Per se enim castitas blanda est et quemlibet ad se alliciens. Sed considerandae sunt vires, ut qui potest capere capiat. Quasi hortantis vox Domini est, et milites suos pudicitiae praemium concitantis. Qui potest capere capiat: qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet » [73].

Perfecta castitas liberam a christianis optionem postulat.

---

68 *I Cor.* VII, 25.

69 MATTH. XIX, 11.

70 S. AMBROS., *De viduis*, c. 12, n. 72; *P. L.* XVI, 256; cfr. S. CYPR., *De habitu virginum*, c. 23; *P. L.* IV, 463.

71 Cfr. *I Cor.* VII, 7.

72 MATTH. XIX, 11, 12.

73 S. HIERONYM. *Comment. in Matth.*, XIX, 12; *P. L.* XXVI, 136.

Virginitas enim ardua virtus est: ut quis eam amplecti valeat, non modo requiritur ut firmum et expressum habeat propositum a legitimis oblectationibus, quae ex matrimonio oriuntur, omnino perpetuoque abstinenti, sed etiam ut rebellantes corporis animique motus constanter vigilando eluctandoque coërceat ac sedet, ut a mundi sollicitationibus refugiat, utque daemonis certamina evincat. Quam verum igitur est illud Chrysostomi: « Et radix et fructus virginitatis vita crucifixa est » [74]. Virginitas enim, secundum Ambrosium, veluti sacrificium est, et virgo ipsa « pudoris hostia, victima castitatis » [75]. Immo S. Methodius Olympi episcopus martyribus comparat virgines [76] et S. Gregorius Magnus docet castitatem perfectam supplere martyrium: « Nam, quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia, etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus » [77]. Quapropter castitas Deo dicata fortes nobilesque animos postulat, qui ad suum certamen certandum ac vincendum parati sint « propter regnum coelorum » [78].

Virginitas ardua virtus est quae fortes nobilesque animos requirit.

Antequam igitur arctissimum eiusmodi iter ingrediantur, ii omnes, qui experiundo noverint in re animi nimia debilitate laborare, hanc Pauli Apostoli monitionem mente demissa audiant: « Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri » [79]. Multis enim continentiae perpetuae onus procul dubio

---

[74] S. Ioann. Chrysost., *De virginitate*, 80; *P. G.* XLVIII, 592.

[75] S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 11, n. 65; *P. L.* XVI, 206.

[76] Cfr. S. Methodius Olympi, *Convivium decem virginum*, Orat. VII, c. 3; *P. G.* XVIII, 128-129.

[77] S. Gregor. Magnus, *Hom. in Evang.*, lib. I, hom. 3, n. 4; *P. L.* LXXVI, 1089.

[78] Matth. XIX, 12.

[79] *I Cor.* VII, 9.

gravius est, quam quod iisdem suaderi possit. Parique modo, qui sacerdotes gravi tenentur officio eos adulescentes suo consilio iuvandi, qui ad sacerdotium capessendum vel ad religiosam ineundam vitam, quadam animi inclinatione, se excitatos dicant, ad rem diligenter considerandam eos adhortentur, ne viam ingrediantur, quam eos firmiter feliciterque ad finem usque obituros sperari non possit. Eiusmodi idonitatem prudenter perpendat, audita etiam peritorum sententia, quoties consentaneum fuerit; tunc vero, si serium dubium supersit praesertim ex anteactae vitae experientia, suam auctoritatem interponant, ut candidati a statu perfectae castitatis capessendo desistant, neve iidem ad sacros ordines vel religiosam professionem admittantur.

Nemo arctissimum eius iter ingrediatur de quo sperari non possit id firmiter feliciterque ad finem usque esse obiturum.

Verumtamen, etsi Deo dicata castitas ardua virtus est, eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi possint. Quapropter, si forte habeantur, « qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum » [80], ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse: « Nam ' Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis ' [81] et adiuvat ut possis » [82]. Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus, quorum voluntas ob nervorum perturbationes infirmata est, et quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici, minia facilitate sua-

Qui Iesu Christi invitationi generoso animo respondeant gratiae donum a Deo accipient quo adiuti suum propositum exequi possint.

---

80 Cfr. *Conc. Trid.*, sess. XXIV, can. 9.

81 Cfr. S. AUGUSTIN., *De natura et gratia*, c. 43, n. 50; *P. L.* XLIV, 271.

82 *Conc. Trid.*, sess. VI, c. 11.

dent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — ut eiusmodi obligatione eximantur. Quam utilius opportuniusque est huius generis infirmos adiuvare ad suam solidandam voluntatem, eosdemque admonere ne ipsis quidem castitatem impossibilem esse, secundum Apostoli sententiam: « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere » [83].

Oportet faciant quidquid possint ad eam fideliter perfecteque servandum,

Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram efficaciter tueamur: sedula nempe adsiduaque vigilantia, qua quidquid in nostra facultate est diligenter efficiamus: ac praetera constans precatio, qua id a Deo petamus, quod nos pro infirmitate nostra assequi non possimus: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma » [84].

Sedula nempe studiosaque vigilantia

Eiusmodi vigilantia, quae ad quaelibet pertineat nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino necessaria est: « Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem » [85]. Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea « opera carnis », quae Apostolus enumerat [86], et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet.

Hac de causa imprimis invigilemus oportet cupidinum sensuumque motibus, eosdemque voluntaria etiam asperitate vitae corporisque castigatione ita coërceamus, ut rectae efficiamus rationi Deique legi subiectos: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » [87]. Ipse gentium Apostolus de

---

[83] *I Cor.* X, 13.
[84] Matth. XXVI, 41.
[85] *Gal.* V, 17.
[86] Cfr. *Ibid.* 19-21.
[87] *Ibid.* 24.

semet ipso confitetur: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » [88]. Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: « Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculos tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam » [89]. Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato umquam concedamus, itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam elusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligentia, nulla severitas nimia haberi potest. Si infirma valetudo aliaeve causae alicui graviores corporis austeritates non permittant, nunquam tamen eum ex vigilantia et interna sui ipsius refrenatione eximunt.

Cupidinum sensuumque motuum eosdemque vitae asperitate et corporis castigatione voluntario coercendo.

Quam ad rem animadvertendum praeterea est — quod ceteroquin Sancti Patres [90] Ecclesiaeque Doctores [91] docent — facilius nos posse peccati blandimenta cupidinumque illecebras eluctando compescere, si non recta adversus ea repugnemus, sed potius si ab iisdem pro viribus refugiamus. Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: « Ideo fugio, ne vincar » [92]. Quae quidem

Peccati blandimenta et illecebra pro viribus refugiendo.

---

88 *I Cor.* IX, 27.

89 MATTH. V, 28-29.

90 Cfr. S. CAESAR. ARELAT., *Sermo 41*; ed. G. Morin, Maredsous, 1937, vol. I, p. 172.

91 Cfr. S. THOMAS, *In Ep. I ad Cor. VI*, lect. 3; S. FRANCISCUS SALES. *Introduction à la vie dévote*, part. IV, c. 7; S. ALPHONSUS A LIGUORI, *La vera sposa di Gesù Cristo*, c. 1, n. 16; c. 15, n. 10.

92 S. HIERONYM., *Contra Vigilant.*, 16; *P. L.* XXIII, 352.

fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi occasiones diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus, in eo potissimum defixi, cui virginitatem nostram devovimus. « Inspicite pulchritudinem Amatoris vestri » [93], ut Augustinus admonet.

Hodie nonnulli putant christianos et praesertim sacrorum administros *mundo praesentes, non ab eo segregandos* esse oportere.

Iamvero eiusmodi fugam ac sedulam vigilantiam, quibus nos a peccandi occasionibus diligentissime removeamus oportet, sancti viri santaeque mulieres nullo non tempore habuerunt utpote aptiorem eluctandi hoc in genere rationem; verumtamen hodie non idem omnes sentire videntur. Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse *a mundo segregandos,* ut aiunt, sed *mundo prasentes esse* oportere, et ideo necesse esse eos *aleam subire* atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam obsistendi facultatem: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque adeo quibusvis perturbationibus se immunes reddant. Hac de causa facile concedunt eos posse, nulla habita verecundia, in quidquid obversetur libere oculos convertere; cinematographica spectacula frequentare, ac vel illa etiam, quae ab ecclesiasticis censoribus prohibita fuerint: quoslibet commentarios, etsi obscenos, pervolutare, atque eas etiam amatorias fabulas legere, quae in Indice scriptorum prohibitorum annumerentur, vel ipso vetentur naturali iure. Idque idcirco concedunt, quod censent eiusmodi spectaculis editisque scriptionibus hodie hominum multitudinem pasci, quorum quidem cogitandi sentiendique modum intellegere debeant qui eos iuvare velint. Atqui facile cernitur falsam hanc esse ac detrimentosam cleri educandi rationem eiusdemque ad crediti muneris assequendam sanctitatem conformandi.

---

[93] S. Augustin., *De sancta virginitate,* c. 54; *P. L.* XL, 428.

Etenim « qui amat periculum, in illo peribit » [94]; atque in hanc rem opportuna cadit haec Sancti Augustini admonitio: « Ne dicatis vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudicici cordis est nuntius » [95].

Procul dubio haec funesta agendi ratio in gravi ratiocinandi confusione innititur. Siquidem Christus Dominus de Apostolis utique asseveravit: « Ego misi eos in mundum » [96]; sed antea tamen de iisdem dixerat: « De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo » [97], ac divinum Patrem suum hisce verbis precatus est: « Non rogo ut tollas eos de mundo, se ut serves eos a malo » [98]. Ab Ecclesia autem, quae iisdem permovetur principiis, ut sacerdotes a malis incitamentis arceantur, quae facile illos omnes attingere queant, qui in mediis mundi rebus versentur, opportunae sapientesque editae sunt normae [99], quibus eorum vitae sanctimonia longe satis a laicorum hominum curis et oblectamentis in tuto ponatur.

Haec sentiendi ratio funesta est.

Iamvero maiore profecto de causa iuvenis clerus, idcirco quod ad vitam spiritualem ad perfectionemque sacerdotalem vel religiosam educandus est, oportet a mundi tumultu segregatus sit, priusquam ad suum certandum certamen prodeat, et in sacrum Seminarium vel in scholasticorum sodalium domum per diuturnum temporis spatium excipiatur, ubi edoceatur diligenter seduloque conformetur ad eas quaestiones sensim pruden-

Iuvenis clerus a mundi tumultu segregatus sit oportet.

---

94 *Eccli.*, III, 27.

95 S. Augustin., *Epist.* 211, n. 10; *P. L.* XXXIII, 961.

96 Io. XVII, 18.

97 *Ibid.* 16.

98 *Ibid.* 15.

99 Cfr. *C. I. C.*, can. 124-142. Cfr. B. Pius PP. X, Exhort. ad cler. cath. *Haerent animo, A. S. S.*, XLI, 1908, pp. 565-573; Pius PP. XI, Litt. enc. *Ad catholici sacerdotii fastigium, A. A. S.*, XXVIII, 1936, pp. 23-30; Pius XII, Adhort. apost. *Menti Nostrae, A. A. S.*, XLII, 1950, pp. 692-694.

terque attingendas cognoscendasque, quae praesens induxit aetas, secundum normas quas Nosmet ipsi per Apostolicam Adhortationem *Menti nostrae* impertivimus [100]. Quisnam enim viridarii cultor virgulta, electa quidem sed adhuc tenuia, procellosis tempestatibus idcirco obiciat, ut suae, qua nondum polleant, firmitudinis experimentum praebeant? Atqui sacri Seminarii alumni ac scholastici sodales instar iuvenum debiliumque arbustorum certo habendi sunt, quos adhuc in tuto ponere ac pedetemptim ad resistendum certandumque comparare necesse est.

Sacrae iuventutis educatores adulescentium mentibus christianae pudicitiae praecepta inculcent.

Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus christianae pudicitiae praecepta inculcaverint, quae quidem tantopere valet ad virginitatis incolumitatem servandam et quae castitatis prudentia revera dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat, et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit. Verba turpia minusve honesta non amat, et ab immodestia vel levissima abhorret, atque a suspecta familiaritate cum alterius sexu personis diligenter cavet, cum animo suadeat debitam corpori praestare reverentiam, quod membrum Christi sit [101] ac Spiritus Sancti templum [102]. Qui christiana verecundia ornatus est, quodlibet abominatur impuritatis peccatum, ab eoque illico se abstrahit, quotiescumque eius illecebris allicitur.

Pudicitia praetera parentibus atque educatoribus opportuna verba suggerit ac praebet, quibus oporteat iuvenum conscientiam, ad castimoniam quod attinet, conformare. « Quocirca — ut in allocutione haud ita multo ante habita animadvertimus — huiusmodi verecundia non ita accipienda est ut hac super causa perpetuo aequi-

---

100 Cfr. *A. A. S.* XLII, 1950, pp. 690-691.

101 Cfr. *I Cor.* VI, 15.

102 *Ibid.* 19.

paretur silentio, utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat »[103]. Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum pudorem offendat. Atqui iuxta hac in re agendi temperatio ac moderatio adhibenda est, quae a christiana pudicitia requiritur.

Pudicitia parentibus atque educatoribus auxilio erit ut iuvenum conscientias ad castitatem quod attinet conforment.

Haec autem pudica verecundia Dei timore alitur, eo videlicet filiorum timore, profundae humilitatis christianae virtute innixo, quo summa cura a peccato cuiusvis generis abhorremus, ut Decessor Noster S. Clemens I hisce verbis asseverat: « Qui carne castus est, ne glorietur, cum sciat alium esse qui continentiae donum ipsi tribuat »[104]. Quanti autem momenti christiana humilitas sit ad virginitatem custodiendam, nemo fortasse clarius quam Augustinus docuit: « Quia perpetua continentia, maximeque virginitas, magnus bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est ne superbia corrumpatur. ... Quod bonum quanto magnum video, tanto ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit: et « Deus est charitas »[105]. Custos ergo virginitatis charitas; locus autem huius custodis humilitas »[106].

Humilitas christiana maximi momenti est ad virginitatis custodiam.

Aliud praeterea intento perpendendum est animo: ad illibatam nempe conservandam castimoniam neque vigilantiam, neque verecundiam valere satis. Adiumentis etiam utendum est, quae naturae vires omnino excedunt:

---

103 Alloc. *Magis quam mentis,* d. 23 Sept., a. 1951; *A. A. S.* XLIII, 1951, p. 736.

104 S. Clemens Rom., *Ad Corinhios,* XXXVIII, 2; ed. Funk-Diekamp, *Patres Apostolici,* vol. I, p. 148.

105 I Ioann., IV, 8.

106 S. Augustin., *De sancta virginitate,* cc. 33, 51; *P. L.* XL, 415, 426; cfr. cc. 31-32, 38; 412-415, 419.

hoc est precatione ad Deum adhibita, Paenitentiae et Eucharistiae sacramentis, incensaque pietate erga Sanctissimam Dei Matrem.

Constans virginum fidelitas erga Christum a sancta praecatione pendet.

Nunquam obliviscendum est perfectam castitatem excelsum donum esse a Deo datum. Quam ad rem haec presse animadvertit Hieronymus: « His datum est [107], qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quaerens inveniet, et pulsanti aperietur » [108]. A sancta precatione pendet, Ambrosius addit, constans virginum fidelitas erga Divinum Sponsum [109]. Et S. Alphonsus a Liguori ea, qua praestabat, flagrantissima pietate docet nullam esse magis necessariam et securam opem ad tentationes vincendas adversus pulchram eiusmodi castitatis virtutem, quam statim ad Deum precando confugere [110].

Ad eam accedat oportet sacramentorum Eucharistiae et Poenitentiae frequens susceptio.

Ad preces tamen accedat oportet Paenitentiae Sacramentum, quod frequenter studioseque adhibitum utpote spirituale medicamentum, nos expiat ac sanat; itemque Eucharistiae pabulum, quod quidem, ut Decessor Noster imm. mem. Leo XIII asseverat, optimum est « remedium contra libidinem » [111]. Quo purior et castior est animus, eo magis hunc panem esurit, ex quo fortitudinem haurit ad obsistendum quibuslibet impuri peccati illecebris, et quo arctius cum Divino Sponso coniungitur: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo » [112].

---

[107] Cfr. Matth. XIX, 11.

[108] Cfr. *Ibid.* VII, 8; S. Hieronym., *Comm. in Matth.* XIX, 11; *P. L.* XXVI, 135.

[109] Cfr. S. Ambros., *De virginibus,* lib. III, c. 4, nn. 18-20; *P. L.* XVI, 225.

[110] Cfr. S. Alphonsus a Liguori, *Pratica di amar Gesù Cristo,* c. 17, nn. 7-16.

[111] Leo XIII, Enc. *Mirae caritatis,* d. 28 Maii, a. 1902; *A. L.* XXII, pp. 1902-1903.

[112] Io. VI, 57.

Insignis sane et per saeculorum decursum iterum iterumque experimento probata ratio, qua intemerata perfectaque castitas custodiatur ac foveatur, solida est atque incensissima erga Deiparam Virginem pietas. Hac enim pietate quodam modo cetera omnia adiumenta continentur; quandoquidem qui ea sincere impenseque animatur, is procul dubio ad sedulam vigilantiam, ad effundendas praeces, atque ad accedendum ad paenitentiae tribunal et ad sacram mensam salutariter excitatur. Quamobrem sacerdotes omnes ac religiosos sodales sacrasque virgines paterno adhortamur animo, ut in peculiarem tutelam se recipiant almae Dei Matris, quae virginum Virgo est atque « virginitatis magistra », ut asseverat Ambrosius [113], et quae potentissima Mater est praesertim eorum omnium, qui se divino servitio manciparunt ac consecrarunt.

Insignis ratio ad perfectam castitatem servandam et fovendam solida et incentissima erga Deiparam Virginem pietas,

Quae Virgo virginum est et « virginitatis magistra »,

Per eam autem esse virginitatem ortam iam animadvertit Athanasius [114], atque hisce verbis clare docet Augustinus: « Coepit dignitas virginalis a Matre Domini » [115]. Atque eiusdem Athanasii [116] vestigia premens Ambrosius Mariae Virginis vitam virginibus tamquam exemplar proponit: « Hanc imitamini, filiae ... [117]. Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua, velut speculo, refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt ... Haec est imago virginitatis. Talis

---

113 S. Ambros., *De institutione virginis*, c. 6, n. 46; *P. L.* XVI, 320.

114 Cfr. S. Athanas., *De virginitate*, ed. Th. Lefort, *Muséon*, XLII, 1929, p. 247.

115 S. Augustin., *Serm.* 51, c. 16, n. 26; *P. L.* XXXVIII, 348.

116 Cfr. S. Athanas., *Ibid.*, p. 244.

117 S. Ambros., *De institutione virginis*, c. 14, n. 87; *P. L.* XVI, 328.

enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina ...[118]. Ergo sancta Maria disciplinam vitae informet »[119]. « Cuius tanta gratia ut, non solum in se virginitatis gratiam reservaret, sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret »[120]. Quam verum igitur est illud eiusdem Ambrosii effatum: « O divitias Marianae Virginitatis! »[121] ». Ob quas quidem divitias hodiernis etiam sacris virginibus religiosisque viris et sacerdotibus summopere prodest virginatem Mariae contemplari, ut fidelius ac perfectius castitatem proprii status exerceant.

Atque omnis gratiae mediatrix.

Sed non satis vobis sit, dilectissimi filii et filiae, de Beatae Mariae Virginis virtutibus meditari: ad ipsam impensissima etiam cum fiducia confugite, consilio obsequentes S. Bernardi hortantis: « Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus »[122]. Ac peculiari modo per Marianum qui volvitur annum in ipsa vestrae spiritualis vitae ac perfectionis curam reponite,, exemplum imitantes Hieronymi, qui asseverabat: « Mihi virginitas in Maria dedicatur et Christo »[123].

IV

Summus Pontifex magno solacio afficitur cum cernit ubique florentem virginitatem magna aestimatione esse.

In gravibus difficultatibus, quas hodie Ecclesia eluctari debet. Noster Supremi Pastoris animus magno solacio afficitur, Venerabiles Fratres, cum cernimus virginitatem, quae ubique terrarum floret, nostra quoque ut superioribus aetatibus, magna in aestimatione magnoque

---

118 S. Ambros., *De virginibus* lib. II, c. 2, n. 6, 15; *P. L.* XVI, 208, 210.

119 *Ibid.*, c. 3, n. 19; *P. L.* XVI, 211.

120 S. Ambros., *De institut. virginis*, c. 7, n. 50; *P. L.* XVI, 319.

121 *Ibid.*, c. 13, n. 81; *P. L.* XVI, 339.

122 S. Bernard., *In nativitate B. Mariae Virginis*, Sermo de aquaeductu, n. 8; *P. L.* 183, 441-442.

123 S. Hieronym., *Epist.* 22, n. 18; *P. L.* XXII, 405.

in honore esse, quamvis, ut diximus, erroribus impugnetur, quos tamen, ut evanidos, quam primum dilapsuros confidimus.

Haud diffitemur nihilo secius hoc gaudium Nostrum aliqua obumbrari maestitia, cum noscamus in non paucis regionibus eorum numerum in dies imminui, qui divino quodam afflatu vocati amplectendum suscipiant virginalis vitae institutum. Quibus praesertim de causis id eveniat, iam supra diximus; non est igitur cur rem iterum attingamus. Confidimus potius fore ut ii iuvenum educatores, qui hac super re in errores prolapsi fuerint, eos quam primum detegant ac repudient, ideoque sibi cordi habeant et iisdem mederi, et quidquid possunt efficere, ut qui ad sacerdotalia munia capessenda vel ad amplectendum religiosae vitae institutum superno quodam instinctu vocatos se sentiant, suisque ipsorum curis concrediti fuerint, ii omni ope adiuventur, ut excelsam eiusmodi metam attingere queant. Atque utinam feliciter contingat ut nova frequentioraque sacerdotum, religiosorum sodalium sacrarumque virginum agmina, praesentibus Ecclesiae necessitatibus numero virtuteque paria, ad Dominicam excolendam vineam quam primum prodeant.

Eius animus maestitia obumbratur cum noscit in aliquibus regionibus numerum in dies minui eorum qui virginalem statum suscipiunt.

Confidit fore ut qui in errores quos in Encyclica attinxit prolapsi fuerint eos quam primum detegant et repudient.

Hortamur praeterea — ut Apostolici officii Nostri conscientia postulat — patres matresque familias, ut libenter velint eos divino famulatui offerre, quos filios habeant ad illum suscipiendum vocatos. Quodsi hoc iisdem afferat aliquid oneris, maestitiae, aegritudinis, haec verba intento meditentur animo, quibus Ambrosius Mediolanenses admonebat matres: « Plerasque virgines cognovi velle et prohiberi etiam prodire a matribus ... Si hominem vellent amare filiae vestrae, per leges possent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? » [124].

Hortatur ut patres matresque familias libenter Dei famulatui offerant quos filios habeant ad eum vocatos.

---

124 S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 10, n. 58; *P. L.* XVI, 205.

Considerent parentes quanto sibi honori sit suum filium cernere sacerdotio augeri, vel filiam suam Divino Sponso virginitatem devovere suam. Ad sacras virgines quod attinet idem Mediolanensis Episcopus haec habet: « Audistis, parentes ... Virgo Dei donum est, munus parentis, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius cotidiano sacrificio vis divina placatur » [125].

Quicumque Dei famulatui iam sunt mancipati et funestas insectationes patiuntur sacras primaevae Ecclesiae virgines imitentur.

Nunc vero, antequam Encyclicis hisce Litteris finem facimus, cupimus, Venerabiles Fratres, mentem animumque Nostrum ad eos ad easque peculiari modo convertere, qui divino famulatui mancipati, in non paucis regionibus acres funestasque insectationes patiuntur. Sibi exemplum sumant ad imitandum ab illis primaevae Ecclesiae aetatis sacris virginibus, quae suae ipsarum virginitatis causa strenuo invictoque animo martyrium subiere [126].

In proposito inito « usque ad mortem » forti animo perseverent.

Ii omnes quod sacrosanctum inierunt propositum serviendi Christo, in eo « usque ad mortem » forti animo perseverent; ac prae oculis habeant suos angores suasque aerumnas et precationes magni esse pretii coram Deo ad eius regnum in suis regionibus in universaque Ecclesia instaurandum; itemque sibi certissimum habeant eos, qui « sequuntur Agnum quocumque ierit » [128], sempiternum in aevum « canticum novum » [129], edituros esse, quod nemo alius canere possit.

Nos autem erga eos, sive sacerdotes religiososque sodales, sive sacras virgines, qui quidem ad martyrium usque suam fidem strenue profitentur, paterno miserantique commovemur animo; ac non modo pro eis, sed pro iis etiam omnibus, qui in qualibet terrarum orbis parte divino servitio se omnino dedunt ac consecrant, supplices

---

125 *Ibid.*, c. 7, n. 32; *P. L.* XVI, 198.

126 Cfr. S. Ambros., *De virginibus*, lib. II, c. 4, n. 32; *P. L.* XVI, 215-216.

128 *Apoc.* XIV, 4.

129 *Ibid.*, 3.

ad Deum admovemus preces, ut eos confirmet, roboret, consoletur; ac vos singulos universos, Venerabiles Fratres, vestrosque greges vehementer adhortamur ut, una Nobiscum comprecando, necessaria iis omnibus impetretis divina solacia divinaque munera et auxilia.

Quorum divinorum munerum conciliatrix esto, peculiarisque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ceteris sacrorum administris ac sacris virginibus, iis imprimis, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » [130], ac cunctis e gregibus vestris christifidelibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Martii, in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

---

[130] MATTH. V, 10.

5 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVI [16 ian. 1954] p. 25)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 2 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opusculum quod inscribitur:

Camille Muller, *L'Encyclique « Humani Generis » et les problèmes scientifiques,* Louvain, E. Nauwelaerts, 1951.

Et feria V, die 10 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro Segretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Decembris 1953.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

6 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVI [16 feb. 1954] p. 63)

I

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 23 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus

fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Jacqueline Martin, « *Plénitude* » Témoignage d'une femme sur l'amour, Editions familiales de France, 1951.

Et feria VI, die 1° Ianuarii 1954, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Ianuarii 1954.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

II

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria III (loco IV), die 5 Ianuarii 1954

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Bernhard Scheichelbauer, *Die Iohannis - Freimaurerei,* Versuch einer Einführung, Wien, Verlag O. Kerry, 1953.

Et feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D.Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 16 Ianuarii 1954.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

III

MONITUM

In aliquibus locis divulgatum est opusculum quoddam, cui titulus « SECRETUM FELICITATIS - *Quindecim orationes a Domino S. Birgittae in ecclesia S. Pauli, Romae, revelatae* », Niceae ad Varum (et alibi), variis linguis editum.

Cum vero in eodem libello asseratur S. Birgittae quasdam promissiones a Deo fuisse factas, de quarum origine supernaturali nullo modo constat, caveant Ordinarii locorum ne licentiam concedant edendi vel denuo imprimendi opuscola vel scripta quae praedictas promissiones continent.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 28 Ianuarii 1954.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

IV

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Camillus Muller laudabiliter se subiecit decreto S. Officii diei 2 Decembris 1953, quo damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est opusculum ab eo editum sub titulo *L'Encyclique « Humani Generis » et les problèmes scientifiques*, Louvain, E. Nauwelaerts, 1951.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 4 Februarii 1954.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

7 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVI [12 apr. 1954] p. 142)

DECRETUM

DE DISCIPLINA IEIUNII EUCHARISTICI IN CELEBRATIONE INSTAURATAE VIGILIAE PASCHALIS SERVANDA.

Cum Sacra Rituum Congregatio, decreto diei 11 Ianuarii 1952 (*A. A. S., vol.* XXXXIV, 1952, p. 48 sq.) facultatem celebrandi instauratam vigiliam paschalem, decreto diei 9 Februarii 1951 concessam (*A. A. S.*, vol. XXXXIII, 1951, pp. 128-129), ad triennium prorogaverit et nonnullas « Ordinationes » etiam de ieiunio eucharistico addiderit (V, 18), quaesitum fuit ab aliquibus locorum Ordinariis utrum supradictae « Ordinationes » in suo robore permaneant etiam post promulgationem Constitutionis Apostolicae « Christus Dominus », diei 6 Ianuarii 1953, et Instructionis S. Officii eiusdem diei, de disciplina circa ieiunium eucharisticum servanda (*A. A. S.*, vol. XXXXV, 1953, pp. 15 et sq.; pp. 47 et sq.).

E.mi ac Rev.mi Patres Supremae huius S. Congregationis S. Officii, collatis consiliis cum S. Rituum Congregatione, in Plenario Coetu feriae IV, diei 7 Aprilis 1954, quae sequuntur decreverunt:

1. Sacerdotes Missam vigiliae paschalis media nocte celebraturi, itemque fideles in ea communicaturi, ieiunium servare tenentur ad normam can. 808 et can. 858 § 1;

2. Si Missa vigiliae, in casu quodam peculiari, iuxta n. II, 4 « Ordinationum » S. Rituum Congregationis, ante mediam noctem celebretur, normae Constitutionis « Christus Dominus » et Instructionis S. Officii erunt servandae.

Ss.mus autem D. N. D. Pius, divina Providentia Pp. XII, hac ipsa die 7 Aprilis 1954 hoc E.morum Pa-

trum decretum approbavit atque promulgari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 7 Aprilis 1954.

MARIUS CROVINI, *Supr. S. Congr. S. Off. Notarius*

8 - Sacra Congregatio Rituum

(*AAS.* XXXXVI [16 feb. 1954] p. 68)

I

ROMANA

VARIATIONES IN RUBRICIS MISSALIS ET RITUALIS ROMANI

Apostolica Constitutione « Christus Dominus » Pii Papae XII, de disciplina quoad ieiunium eucharisticum servanda, die 6 Ianuarii 1953 data, atque Instructione S. Officii eadem super re eodemque die lata, nonnullae variationes in Rubricis Missalis et Ritualis Romani erunt faciendae. Quas quidem variationes Sacra Rituum Congregatio diligenti studio paravit et, prout in adnexo exemplari prostant, in Rubricas cum Missalis tum Ritualis Romani induci servarique mandavit. Quibuscumque contrariis nihil obstantibus.

Die 3 Iunii 1953.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A CARINCI, Archiep. Seleucien., *a Secretis*

VARIATIONES IN RUBRICIS MISSALIS ROMANI POST CONSTITUTIONEM « CHRISTUS DOMINUS »

In Capitulo *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, titulo IX *De defectibus dispositionis corporis* sequentes numeri sic variantur:

1. Si quis non est ieiunus post mediam noctem non potest communicare nec celebrare, salvis casibus a iure admissis, iuxta Constitutionem Apostolicam « Christus Dominus », diei 6 Ianuarii 1953.

3. Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.

4. Si plures Missas in una die continuo celebret, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem. Si plures Missas in una die cum intermissione celebret, potest in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis praescriptis sumere, sed tantum adhibita aqua.

Si vero Sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Die Nativitatis Domini Rubrica post primam Missam sic compleatur:

« In prima et secunda Missa ... ac demum velo. Si vero praedictas Missas cum intermissione sit celebraturus, potest in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis praescriptas sumere, sed tantum adhibita aqua ».

In Commemoratione omnium fidelium defunctorum die 2 Novembris, post primam Missam rubrica compleatur ut die Nativitatis Domini.

VARIATIONES IN RITUALI ROMANO POST CONSTITUTIONEM « CHRISTUS DOMINUS »

TITULUS V

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento

Caput I

Praenotanda de hoc Sanctissimo Sacramento

Nn. 3 et 4 erunt sequentes, variata subsequenti numeratione:

3. Ideo populum saepius admonebit, qua praeparatione et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debet accedere: ut, praemissa sacramentali confessione et servato ieiunio eucharistico, omnes utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent ac reverenter suscipiant, viri, quantum fieri potest, a mulieribus separati.

4. Ad ieiunium eucharisticum quod attinet:

a) Aqua naturalis ieiunium eucharisticum non frangit. Christifideles, etiamsi non infirmi, qui ob debilitantem laborem, tardiores horas, quibus tantum ad sacram Synaxim accedere possint, vel longinquum iter eucharisticam mensam omnino ieiunii adire nequeant, aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis tamen alcoholicis et servato ieiunio unius horae ante sacrae communionis receptionem. Causae quidem gravis incommodi prudenter a confessario perpendendae sunt.

b) Fideles qui in Missis vespertinis sacram communionem recipiunt, sive intra dictas Missas, sive proxime ante vel statim post, possunt inter refectionem, permissam usque ad tres horas ante communionem, sumere congrua moderatione alcoholicas potiones in mensa suetas, exclusis liquoribus. Quoad potus autem, quos sumere possunt usque ad unam horam ante communionem, excluditur omne alcoholicorum genus.

Caput IV

De Communione infirmorum

N. 4 « Post quidem ... » sequenti substituatur:

4. Diligenter curandum est, ne sanctissima Eucharistia tribuatur infirmis, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria Sacramenti timeri possit.

Infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis alcoholicis, si, suae infirmitatis causa, usque ad sacrae communionis receptionem ieiunium, absque gravi incommodo, nequeant servare integrum; possunt etiam aliquid sumere per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, modo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta.

Condiciones, quibus dispensatione a lege ieiunii frui possint, nulla adiecta ante communionem temporis limitatione, prudenter a confessario perpendendae sunt.

Caput V

Instructio pro sacerdote facultatem habente bis vel ter Missam eadem die celebrandi.

1. Sacerdotes, qui vel tardioribus horis, vel post gravem sacri ministerii laborem, vel post longum iter celebraturi sunt, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, antequam sacri operentur.

2. Quando sacerdos eadem die bis vel ter est Missam celebraturus, potest in prioribus Missis duas ablutiones sumere, quae tamen, in hoc casu, non vino sed aqua tantum fieri debent.

3. Qui vero die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas sine intermissione celebrat, in prima et secunda Missa ablutiones non sumit, sed divino Sanguine diligentissime sumpto, super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio Altari dicat: « Quod ore sumpsimus ... »; et subinde, amoto aquae vasculo, digitos lavet dicens: « Corpus tuum ... », et abstergat.

Hisce peractis, Calicem, super corporale adhuc manentem, deducta palla, coperiat ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena super quam ponat hostiam consecrandam, ac palla, et demum velo.

Si vero sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Cum autem in secunda Missa ... (usque ad finem).

9 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

(*AAS.* XXXXVI [16 feb. 1954] p. 73)

DECRETUM

CORONAE SEPTEM DOLORUM REATAE MARIAE VIRGINIS RECITATIO INDULGENTIA PLENARIA DITATUR.

Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori diei 19 mensis Decembris anni 1953 concessa, preces Rev.mi Prioris Generalis Ordinis Servorum Mariae libenter excipiens ac fidelium votis Coronam Septem Dolorum ubique recitantium paterne obsecundans, benigne dilargiri dignatus est

Indulgentiam plenariam, a christifidelibus confessis ac sacra Synaxi refectis semel in die lucrandam, si coram SS. Altaris Sacramento, sive publice exposito sive in Tabernaculo adservato, praefatam Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis Coronam devote recitaverint.

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae Apostolicae, die 15 Ianuarii 1954.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

Pretium subnotationis annuae
In Italia L. 900; extra Italiam 2,50 doll.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. VINCENZO MONACHINO S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1954

EDITIONS BEYAERT - BRUGES

Dépôt à Paris: 66, rue Bonaparte, VI^e

Collection « Renaissance et Tradition »

IVAN KOLOGRIVOF, S. J.

ESSAI SUR LA SAINTETE EN RUSSIE

1 vol., ft. 14 × 22 cm., 448 p., fr. 185 (fr. fr. 1285)

« ... Le mie vive congratulazioni al Prof. Kologrivof. Egli è riuscito a fare un bellissimo esposto di una materia che era stata poco trattata da altri.

Ho visto con piacere che l'opera era stata accettata da una importante Ditta belga. L'ottima presentazione del libro aiuterà certamente alla sua diffusione.

È assai importante far conoscere ai cattolici ed agli altri cristiani d'Occidente le caratteristiche della pietà orientale. È interessante vedere come hanno praticato la vita cristiana anche coloro che non avevano tutte le risorse spirituali che appartengono ai cattolici ».

† EUGENIO Cardinal TISSERANT.

« ... Poichè ogni popolo possiede una particolare psicologia, anche la santità che esso esprime conserva sempre i tratti originari che lo caratterizzano. L'affermazione è soprattutto valida per il popolo russo: i suoi santi debbono essere studiati, non tanto attraverso gli scrittori che si sono maggiormente imposti nella storia della letteratura, quanto sulla terra ove vissero, nella loro geografia naturale. Mentre l'occidentale è in certo modo geloso dei propri valori culturali, non nasconde il desiderio di una qualche agiatezza e l'ammirazione per un determinato « modus vivendi », il russo invece può paragonarsi a un pellegrino sempre in marcia verso la verità, un nomade spirituale preoccupato d'una città fondata su una nuova terra, la cui nascita sarà il risultato d'una trasfigurazione totale e collettiva. La negazione di Dio lo porterà al nichilismo e al materialismo; la contemplazione di Lui a una forma di santità che, soprattutto nello stato monastico, fiorirà sulle vie della sofferenza, e nelle vaste regioni di Kiev, Mosca, Pskov-Novgorod, susciterà una legione di anime che ha fatto della terra russa, la " santa Russia ".

Quest'opera del P. Kologrivof è la versione francese completa d'un corso di lezioni da lui tenuto in lingua latina al Pontificio Istituto Orientale di Roma, e al tempo stesso l'unica sull'argomento. L'Autore ha potuto disporre soltanto di poche fonti, naturalmente quasi tutte russe o in lingua russa, sicchè ha dovuto per così dire ricostruire dalle fondamenta la materia, per dare al suo saggio un carattere unitario, necessariamente sintetico, con lo scopo ultimo di far conoscere alcune forti pagine di storia ch'eran rimaste praticamente ignorate alla stragrande maggioranza dei lettori ».

Ecclesia - Città del Vaticano.

EN VENTE CHEZ VOTRE LIBRAIRE